ſtans, quoad Eaſdem omnes Mutari poteſt. p. 114
18. *Homo eſt Ens, ſeu Quid ex Mente et Corpore Compoſitum.* p. 116
19. *Quid Corpus Humanum.* p. 117
20. *Quæ Hominis Identitas.* p. 119
21. *Corporis Humani Exortus, et Fabrica Naturalis Expenditur.* p. 120
22. *Ut et Supernaturalis, Cui non Idem ſemper Exortus, nec Eadem Materiæ Quantitas, nec Idem Partium Numerus.* p. 121
23. *Nec Eadem Materia Numerica.* p. 123
24. *Anima Humana Quid, et Quæ Ejus cum Corpore Unio.* p. 124
25. *Anima Sola non eſt Individuationis Principium.* p. 128
26. *Corruptela Originaria, Aliáque non Vulgaria Phænomena, Ex dictis Principijs Explicantur.* p. 129
27. *Ut Corpus Labe omni Originali Eximatur.* p. 131
28. *Plantarum Exortus et Individuatio, ex Principijs Carteſianis, Mutationem Formalem arguunt.* p. 132
29. *Non Exiſtentia, nec Loci Identitas, eſt Individuationis Principium.* p. 135
30. *Ut Mutatio etiam ſit in Spiritualibus Naturis.* p. 138
31. *Stante Hypotheſi Carteſiana, Formalis Mutatio ſtabilitur.* p. 140
32. *Mutatio Subſtantialis, et Re et Nomine Confirmatur.* ibid
33. *Appendicis hujus, Totiúſque Operis Ratio.* p. 141

FINIS.

ſtans, quoad Eaſdem omnes Mutari poteſt. p. 114
18. *Homo eſt Ens, ſeu Quid ex Mente et Corpore Compoſitum.* p. 116
19. *Quid Corpus Humanum.* p. 117
20. *Quæ Hominis Identitas.* p. 119
21. *Corporis Humani Exortus, et Fabrica Naturalis Expenditur.* p. 120
22. *Ut et Supernaturalis, Cui non Idem ſemper Exortus, nec Eadem Materiæ Quantitas, nec Idem Partium Numerus.* p. 121
23. *Nec Eadem Materia Numerica.* p. 123
24. *Anima Humana Quid, et Quæ Ejus cum Corpore Unio.* p. 124
25. *Anima Sola non eſt Individuationis Principium.* p. 128
26. *Corruptela Originaria, Aliáque non Vulgaria Phænomena, Ex dictis Principijs Explicantur.* p. 129
27. *Ut Corpus Labe omni Originali Eximatur.* p. 131
28. *Plantarum Exortus et Individuatio, ex Principijs Carteſianis, Mutationem Formalem arguunt.* p. 132
29. *Non Exiſtentia, nec Loci Identitas, eſt Individuationis Principium.* p. 135
30. *Ut Mutatio etiam ſit in Spiritualibus Naturis.* p. 138
31. *Stante Hypotheſi Carteſiana, Formalis Mutatio ſtabilitur.* p. 140
32. *Mutatio Subſtantialis, et Re et Nomine Confirmatur.* ibid
33. *Appendicis hujus, Totiúſque Operis Ratio.* p. 141

FINIS.

Antonii Le Grand

CENSURA JUSTISSIMA

Responsi,

Ut Habetur,

TERRIBILIS;

Cui *TITULUS* est

IDEÆ CARTESIANÆ

AD

LYDIUM Veritatis *LAPIDEM*

(*Terminorum* scilicet *Connexionem*)

EXPENSÆ.

Unicuique licet, cum moderamine insulpatæ Tutelæ, paribus Armis se defendere, quibus impugnatus fuerit. Cod. Leg. Antiq. in Const. Sic. Lib. 1. Tit. 8.

LONDINI, Anno, MDCXCVIII.

K8.L52
1692

Nobiliſſ. & Ornatiſſ. Domino

D. EDVARDO SOUTHCOTT,

Tum Generis Nobilitate, tum

Virtutibus Propriis

CLARO,

Philoſophiæ Veræ Defenſori

Strenuo.

Nobiliſſime Domine,

Dabis veniam, ſi Titulos, quibus aut Principum Favore, aut Sanguinis Jure Ornatus es, tum expreſsè recolam, cùm vel omnium ore Is certe ſis, cui minimè diſpliceat Ovidianum illud:

Nam Genus, & proavos, & quæ non Fecimus Ipſi,
Vix ea noſtra voco.

Parum ſiquidem Tibi ſit, Alienis Virtutibus Laudari, niſi & Propriis Meritis inclareſceris. Unde & ad Te iterum, Reipublicæ Literariæ principem, in Cauſa

Car-

Cartesiana, tanquam ad Asylum Confugio. Neque vero Animi tui Magnitudo patitur, quin Veritatem, quo magis deprimitur, eo fortiùs vindices. Quin & Ipse etiam sub vexillo tuo Spem animúmque mihi sumens, Adversario audacissimo, qui Cartesianos omnes, tum Voce tum Scriptis vehementer aggressus est, neque tam justis armis, quam veneno Calumniarum, & tinctis maledicentiæ felle spiculis petiit, occurrere non detrectavi.

Me quidem unum quod spectat, ita Injuriarum patientem semper facile invenient omnes; Ut Contumelias cunctas, quibuscunque petitus sum, penitùs negligam. Quæ Te autem, Studiaque tua quoquo modo petunt, non possunt non me movere multùm. Non possum non moveri, dum Cartesium, Divini Ingenii virum, Fanaticum fuisse, defectúque Logicæ, Christum ipsum solvisse Legimus. Non possum non moveri, dum Malbranchium virum etiam Clarissimum, cum Aliis longo ordine enumerandis, Eadem Dementiæ specie labo-

rare

rare dictum est. Non possum non mo-veri, dum Philosophiam Cartesianam, quæ in Academiis, Collegiis, Societatibus Regiis, Domi Foríque florentibus, multis præconiis celebratur; cujusque in Theologicis, Medicis, Mechanicis, omni certe Scientia ac Arte ingenua, Usus multiplex clarè jam constat; ab Eo tandem damnatam videmus, qui Ipsius omninò ignarus sit, nec aliud magis, quam Terminorum Connexionem Logicam, Nemini non Notissimam, à nullis autem Religiosiùs quàm à Cartesianis observatam, crepat: Ab Eo, qui nihil hac in re, præter Convitia, Falsificationes, Verborum ac Sensuum Detorsiones, Cavillationes & Prævaricationes manifestas Effutiit; ab Eo, qui ita sibi Suffenus est, ut Saniorem omnem in Rebus Philosophicis Doctrinam refugiens, Paradoxa sua propria, futilia certè ac impia, unice depereat, quodque Alii alienati ab sensu animi indicium judicant, tanquam Opus (si quod aliud) Mundo utilissimum jactat. Denique, non possum

non

non moveri maximè, dum Providentiam Divinam, Omnipotentiam ipsam, aliáque Dei Attributa minui, ac male tractari cernimus.

His Rationibus motus, non potui non in Boni Publici Hostem insurgere, & Errores Ejus gravissimos Censura Justissima Notare. Si quid autem in Ipsum acerbiùs à me dictum videatur, perpendas, obsecro, quàm Causa ipsa id voluit; nec tamen aliquid excidit, quo non ita me, licet sæpius provocatum, temperavi, ut ab omnibus, quæ Charitatem Christianam offendant, abstineam. Non nego quidem quin in nonnullis me mugari putes; sed & Id etiam Scriptori adverso dandum est, cui frustra cætera essent, nisi & cum Ipso aliquando ineptirem. Quicquid sit, id totum Authoritati Vestræ humillimè submittit, qui totus est,

Nobilissime Domine,
Dominationis Vestræ
Servus Humillimus,
LE GRAND.

Ad LECTOREM.

QUam hîc habes *Cenſuram Juſtiſſimam* Reſponſi, Ut habetur, Terribilis, pauciſſimis licet, ſi ad illud comparetur, paginis exhibitam, non ita tamen Impotentem ac mancam exiſtimes, quin in Ea Adverſarii Objectionibus, Cavillationibus rectiùs dixerim, omnibus ſatis abundè factum eſſe invenies. Quippe quòd nihil, præter quod, utpote futile ac ridiculum nimis, omitti oportuit, intactum reliqui: *Theſes* nimirum quaſdam fictitias, ſeu *Propoſitiones* ſuas Categoricas ab Ipſo, *quanta potuit*, ut habet pag. 74. *Fidelitate*, hoc eſt, Fidelitate nulla, *collectas*. Quid autem nulla? Quin ea certe *Fide*, qua in ipſo *Reſponſi* ſui Titulo, Caſtigationes modeſtas, *Virulentas* vocat Calumnias, Eáſque à ſe *amitté* redargui dicit. Ea qua dicit me integrum annum, ne ſeſquiannum addam, in *Catulo* meo formando lambendóque inſumpſiſſe. *pag.* 1. Ea qua dicit me in ipſo *Libri* mei Titulo, *pari verborum tenore*, Ipſum *Divini Numinis*, ac Philoſophorum quos nomino, Adverſarium eſſe, promulgare; Immò poſteà, *abſolutè* me *Eum in Deum eſſe Impium* aſſeruiſſe; cum aliis id genus multis; nec alia quidem de cauſa, quam quòd *Carteſianam Hypotheſin* non ſecutus eſt. *pag.* 3. Ea qua dicit me, Eum Lucifero in ſuperbia æqualem *ubique* depinxiſſe. *pag.* 4. Ea qua me, Verborum meorum, aut etiam S. Scripturæ, qualem ipſe exhibuit, *Interpretem*, nequiſſimum certè, conſtituit. *pag.* 35, 36. & 182. Ea qua dicit, ſe Nihil Siniſtri de *Carteſii* ſinceri-

tate in Fide ſenſiſſe. *pag.* 21. Ea qua negat Syllogiſmos ſuos eſſe, quibus *Ariſtotelem* deridiculo habere voluit. *pag.* 25, & 26. Ea qua inficiatur ſe aſſeruiſſe, *Deo Opus* eſſe *Laborioſum*; Ipſiúſque Eſſentiam minimè decere, ut ſit *Motus* ſeu *Mutationis* Cauſa primaria. *pag.* 45. Ea qua Virum in multifaria literatura Verſatum, voluit tum Nugarum ſuarum Logicalium Petitorem eſſe. *pag.* 5. tum *Malbranchii* Viri Clariſſimi, cujus Laudator perpetuus eſt, Calumniatorem. *pag.* 19. tum *Regii*, *Rohaulti*, & *Regis* Libros rogatu ſuo inſpexiſſe, aut Ipſos, Aliósve ullos, quos damnat, Philoſophos malo ſuo fine, Illi notos feciſſe. *pag.* 29. tum etiam Scriptum ſuum de abſoluta *Annihilationis* impoſſibilitate ad me, Ipſo inſcio, tranſmiſiſſe. *pag.* 60. Ea qua Virum etiam, quemcunque vult, Doctiſſimum, Armigerum meum ac Inſpiratorem eſſe dicit. *pag.* 24, & 37. Ea denique qua in Epilogo ſuo dicit Reverendum D. J. ſibi narraſſe, me *petiiſſe Veniam*, quòd adeò rudi, ut putat, more in Præfatione mea, Eum tractaverim, ac rejeciſſe *Culpam* in nonnullos Carteſianos Londinenſes. *pag.* 271. Quid plura? Ea qua in *Præfationibus* ſuis ad Academiæ Utriuſque Viros Doctiſſimos directis, alibique in *Libro* ipſo paſſim, ridiculam ſuam *Sciendi Methodum*, nemini, ut habet *pag.* 82. parcentem, *Demonſtratam* aſſerit. Ea qua ſingulis pænè paginis *Carteſium*, Carteſianóſque omnes errare, ac ab Ipſo confutatos eſſe contendit. Quæ omnia certe falſiſſima ſunt, nec potiori fine dicta arbitrer, quàm ut clarè appareat, Authorem noſtrum Terribilem, in eo totum eſſe, ut non quicquam per integrum Terribile Reſponſum ſuum, ſine Mendacio diceret.

Cenſura

Censura Justissima

RESPONSI,

Ut Habetur,

TERRIBILIS.

CUm Scriptoris nuperi Errores, nonnullaque alia ejus Dedecora acriùs, non quàm par fuerit, sed quàm patienter, uti nunc apparet, excipere potuerit, Castigaverim; præmonuit per Amicum Reverendus *D. W.* Vir gravis & officiosus, Zelo non minùs quàm Scientiâ clarus, *Terribile* mox expectandum Adversarii *Responsum*: Sed & Animum simul addidit Vir ille bonus, hortatusque est, ut Principis mels fortiter starem, hâc unâ parte solùm cedens, ut Literis amicissimis, Scriptove ullo alio, quod à me asperiùs dictum ipsi videbatur, *Diverbium* nimirum illud unum aut alterum, *De Sutore altra Crepidam*, ac *de Asino ad Lyram*, Præfat. *Sect.* 43. tanquam minùs cautè è Calamo elapsum extemare conarer, aut modestissimè retractarem. Quo me fortè tandem aliquando non minùs fortunatum sentiam, quàm, Quem servavit *Pygopolinites* in Campis Gurgustidoniis ubi Bombomachides Cluninsstaridysarchides erat

I. Quibus auspiciis ad Certamen Terribile, Literâ i-um utcunque itur.

Imperator ſummus, Neptuni Filius. Peropportunum Meherculè, ac Grave, nec ullo unquam modo contemnendum Conſilium. Unde ejus Gravitati morem gerens, *Præcognoſcenda* quædam libentiùs præmiſi, quibus & Philoſophiam Carteſianam, & Hominis Adverſi Lapſus quoſdam, & Notationes Varias, nihil autem non honeſtè & amicè ſatis, exhibui. Neque verò locorum *Citationes* priùs omiſſas, illas ſcilicet de *Aſino*, Identis *Sol. Phil. Præf. Sect.* 15. & de *Crepidâ*, Carteſianis *Sol. Phil. pag.* 112. apertè à Scriptore illo applicatas, hic notare refugiam: tùm ut Curam meam in citando, etiam quoad minutias, oſtendam; tùm ut dum floribus hiſce ſuis Hortulum meum hic ornaverim, non mihi, ſed ipſius Elegantiis deberi agnoſcam. Immò verò & *Cenſuram* hanc *Juſtiſſimam*, ſiquando ita viſum fuerit, in me ſuſcipiam Retractandam. Fuit ſiquidem illa non minima *D. Auguſtini* Laus, quæ ipſi à Retractationibus acceſſit. Neque is ſum adeò mihi Placens, cui propria ſola arrident: Non is, qui facilè ullius Magiſtri, nedum Carteſii in verba, quod ſæpiùs objectum eſt, jurare ducar: Non is, qui non Juramentum omne non ſatis honeſtum, ſi forte, quod abſit, imprudens juraverim, ne aliis tam gravi præbeam ſcandalo, Injuratum velim. Accipiat igitur placide Vir Gravis, nec improbe: quod ejus Auſpiciis cæptum eſt. Neque enim ſi ille faveat lamenter, aut Animum deſpondeam; non ſeſquipedalia ac minantia alicujus verba, ne quidem illius, qui legiones diſſavit ſpiritu, quaſi ventus folia aut peniculum

lum tectorium; non Militis glorioſi aut Clypeum, cui ſplendor eſt clarior quam ſolis radii eſſe olim, cum ſudum eſt, ſolent, aut etiam Machæram, quæ miſera geſtit fartum facere ex hoſtibus; non Gigantis novi Clypeum Septemplicem; non Jovis hujuſce peripatetici Tonitrua, ac Bruta Fulmina pertimeſcam.

Quin igitur è nido provolas? Ecce, Hannibal ad Portas. Recens ſiquidem è prælo prodiit *Terribilis* ille Liber, cujus Terribilior Titulus hæc habet: " *IDEÆ CARTESIANÆ* ad *LYDIUM* Veritatis *LAPIDEM* (*Terminorum* ſcilicet *Connexionem*) *EXPENSÆ*. Ubi *Diſſertatio* ingenioſi admodum Viri, *D. Antonii Le Grand, de Ratione Cognoſcendi*, ac Appendix ejuſdem *de Formali Mutatione*, Principiis eſſe deſtitutæ, imò Primis Intellectus *Principiis* oppoſitæ demonſtrantur; & *Virulentæ* quas intorquet Calumniæ *amice* redarguuntur. Authore J. S. Hæc ideò certè dicta ſunt (quod & præfocuit ille, *Sol. Phil. Præfat. Sect. 9.*) ut quærant Sceptici, *Quid dignum tanto feret hic promiſſor hiatu?* Quin addam etiam quod immediatè apud Poetam ſequitur: *Parturient montes, naſcetur ridiculus mus.* Hor. de Art. Poet. Verùm, iſthuc quidem edepol, inquiet, nihil eſt. Nihil herclè quidem hoc, præ ut ita dicam, illo quæ nunquam fecerit. Perniorem hoc Homine ſi quis viderit, aut loriarum pleniorem, quam illic eſt, me ſibi abeto, & ego me illi mancupio dabo, ſi unum Epityrum edam apud illum eſuriens ſanè benè. Sunt ipſiſſima *Artotrogi* apud

II. Terribilior Terribilis Libri Titulus expenditur ia genere.

Plautum verba, quibus non video quomodò quis Authorem hunc Terribilem magis ad vivum depinxerit.

III. Speciatim ostenditur quo nomine gaudet Author Terribilis.

Dubitari jam non potest, quem Authorem clarissimum duæ illæ literæ *J. S.* hoc loco designant. *Ipsemet* certe *Suffenus*, & Idearum Ideistarumque Spretor hic unà exhibetur. Ipsus est. Neque enim ea non ipsi priùs indita, quasi minùs propria, reliquere aut potuit aut voluit: Immò eisdem superbire visus est. Quanquàm non mihi in animo est, eum Honoribus aliis ullis fraudare; sed ut in Scholis *Doctor* alius est *Subtilis*, alius *Irrefragabilis*, ita & hic *Scientificus* & *Terribilis*, per me licet, habeatur: Neque verò ei unquam invideam, si merito suo, Nobilium instar, non uno, aut altero, sed pluribus insigniatur Titulis.

IV. Quo item miraculo, seu potius Signo Mendacii inclaruit.

Terribile hoc ipsius fore Responsum, ut primùm à *D. W.* ita & posteà ab Authore ipso, pluribusque ejus Amicis, siquidem hi in re Amicis, narratum esse à nonnullis accepisse fatendum est; Unde & *Superbus* ut solet, *Titulum*, & *Ravendum* expectabat. Quo minùs quidem mirandum, si *Ideas*, quas damnat, *Cartesianas*, ut & *Dissertationem*, & *Appendicem* Idæis illis consonam, cum violentis, uti errat, Calumniis, Castigationibus nimirum, quibus meritò correptus est, à se longè amovere, ac redarguere studeat. Mirandum magis, ut & miraculi, seu potius *Signi Mendacis* instar habeatur, quod Author id fieri dicat: Cum anteà, neque adhuc mentem saniorem eum redisse audiam, *Ideas*, *Ideistasque*, quos vocat, omnes, immò

Ari-

Aristotelem, utinam non *Deum* ipsum, inclementius tractare non extimuerit. Id quod in ipso culpavi maximè, speravíque ejus causâ, ah! frustrà nimis, ut Numini supremo, Sibi, Aliisque Justior Philautiam, quâ occæcatur, deponeret, & debitas cuique laudes tribueret, nec Cœlum ac Terram Furibundi more, insolentiùs petere auderet, tremendi illius dicti memor: *Quos Jupiter vult perdere, prius dementat.*

V. Quo etiam Candore.

Quas virulentas vocat *Calumnias*, Veritates esse adeò clarè constat, ut nescio quid ei in mentem venerit Vocem illam quâ contra ipsum usus sum, hîc quasi recriminando repetere, nisi fortè ut spurcissimas Fæminas imitaretur, quæ siquando à Castissimis Matronis ob Spurcitiem suam castigantur, eas statim eisdem Criminibus obnoxias esse pleno ore eructant redarguuntque. Scilicet hoc est *Amici* partes omnes agere! Neque verò majorem ab illo candorem expectem, quàm quo Virum Doctissimum, Ipsique amicissimum, mihi autem multis nominibus semper colendum, velut Armigerum meum, Inspiratorémque injuriâ excipit.

VI. Et quibus Elegantiis.

Quem autem ingeniosum admodùm Virum nuncupat, cavendum est maximè, ne quis fine elegantiori, quâ sibi mirè placet *Suffenus* iste atque Aliorum Spretor, Ironiâ, sic dictum existimet. Versâ siquidem Paginâ, in ipso *Præfationis* vestibulo, " *Rabulam* non flocci faciendum, Rationis atque Argumentorum Inopem esse satis apertè indicat, *pag.* 1. Illum, " qui nihil vel novit, vel *Summis* etiam *Labris* degustavit, quod" nobilissimam illam

Ratiocinandi Facultatem, quâ Homines ſumus, excolendam quoquo modo conferre potuit, *pag.* 5. Illum, "apud quem de quoquam quod ad veram Logicam ac *Concluſivè Ratiocinandi* Artem ſpectat diſſerere, perinde erat atque ignotâ Linguâ loqui, *pag.* 6. Illum, "qui ſi conjectare licet, integram vitam, certè maximam vitæ ſuæ partem in *inanibus nugis*, veritatis prorsùs vacuis, inſumpſit, *pag.* 7. In *Libro* autem ipſo, "Formulis loquendi inter Nobiles vel liberaliter educatos, nimium quàm urbanis, quibus forſan ne verbum quidem veritatis ſubeſt, uſurpari ſolitis, nuntio priùs remiſſo, *pag.* 7. Poſt multa, futilia certè, ac nullius momenti, "Id tandem concilii, jam vale dicturus, mihi dat, ut reputem mecum, quam Rationem, ſic *convictus*, Lectoribus meis allegare poſſim, quo minùs in diſcurrendo Sciolus, in reſpondendo Frivolus, in obiiciendo Phantaſticus & Superficialis, in explicando Futilis, in obloquendo Scurrilis, in ſuſpicando Levis, in narrando Mendax, in talſando Inſincerus, in carpendo Momus, in triumphando Ridiculus, in convitiando denique Rabioſus, ab omnibus Bonis, Doctis ac Ingenuis Viris habendus atque abominandus ſim, *pag.* 73, 74. Quæ quidem omnia, propriæ licet Famæ diſpendio, hîc in anteceſſum dare non abnui, tum (1) ut Reverendo *D. W.* cæteriſque viris doctiſſimis, à quibus Terribile iſtud Reſponſum animatum eſt, non ullo gratitudinis officio deeſſe videar: tum (2) ut ipſi *Suffeno* huic noſtro ſuus integer conſtet honos, nec Inelegans cenſeatur, quo non diſertior unquam

unquam Comicus ille, magni nominis, *Ignoramus*: tum (3) ut quæ ipſi etiam mens ſit, appareat, dum Carteſium ingenioſiſſimum alicubi vocat, & Encomiis multis celebrare viſus eſt, alibi autem illum Logicæ Phyſicæque imperitum, uti & Fanaticum ac Entheatum dicere non erubuit: tum (4) etiam ut hanc cramben ſuam ſæpius coctam, & recoctam non in poſterum repetam, ſed uno quaſi intuitu delicias & Amænitates ſuas omnes hûc unà exponam: tum (5) itidem ut mirari non ſit, ſi & ipſe etiam Stylo ejus impuro vitiatus, adeò penitus ejuſdem imitationem defugere non potui, quin aliquando verba minùs grata è Calamo defluerent: tum (6) denique, ut Æquum ille videat, ſibique acceptum ferat, ſiquando illum, ut videre eſt, Amicum, paulò acerbiùs quàm volui, tractarem.

Quem *LYDIUM* veritatis *LAPIDEM* (*Terminorum* ſcilicet *Connexionem* ſuam) hîc obtrudit, melius certè ipſi conſultum fuiſſet, ſi ſilentio præteriiſſet, aut Literis minuſculis vîſum fugientibus exaraſſet; cùm nondum procul dubio ex ipſius memoriâ, hâc in cauſâ, ſatis tenaci, exciderit, quàm *Sergeantio* olim Pariſiis, eidem innitenti, audactérque aſſerenti tam Fidem quàm Scientiam, non niſi per hoc principium acquiri poſſe, illud infeliciter ceſſit, dum Authoritate publicâ duas ſequentes Propoſitiones Anathematizare adactus eſt, necnon ſubſcribere Cenſuræ dicenti, Illas in ſenſu Catholico non poſſe explicari. Prima erat: *Qui tenetur profiteri Propoſitiones Fidei ut veras, debet videre con-*

VII. Lapis e- ut Lydius infeliciter ei cedat.

nexionem inter illarum Terminos, ac per conſequens illas non poſſe eſſe falſas vel inconnexas. Secunda: *Si duo Termini non cernantur connecti, Propoſitiones illæ poſſunt, imò debent negari à Reſpondente, cujus munus ac jus eſt nihil concedere, quod evidens non eſt.* Id quod Æternitati pingitur, in Hæreſis *Blackloanæ* Hiſtoriâ ac Confutatione, in quâ egregius iſte Author non poteſt non eſſe verſatiſſimus. Hinc fortè factum eſt, quod *Inquiſitionem*, neſcio quam imaginariam ſomniaverit, *pag.* 57. Quo autem magis quidem ipſi cavendum eſt, ne tandem aliquando de ipſo etiam hæc, quam laudavi, narretur Fabula. Neque enim alio nomine illi arrideat veriſſima Hiſtoria, qui vult Philoſophiam Carteſianam non niſi Fabulam habendam eſſe.

VIII. Ideæ omnes, ab ipſo Carteſianæ nominantur.

Quæ autem in fronte, Literis etiam majoribus ornatæ ſunt *IDEÆ CARTESIANÆ*, ad Lydium ſuum Lapidem expenſæ, legentium Oculos Animóſque ante omnia evocant. Quippe non alium quàm *Carteſium* Authorem nunc agnoſcant *Ideæ*: Cùm tamen Terribilis iſte Scriptor, Ideas univerſim omnes reiiciens, ignorare non poteſt quàm Divinus *Plato* ſuas itidem Ideas habet, Immò Univerſa Schola, exceptâ *Blackloanâ*, Rerum etiam Ideas, in *Mente Divinâ* exiſtere docet. Verùm hoc curent Alii. Rerum ſuarum in mente ſuâ propriâ exiſtentium Creator iſte novus, Author certè Terribilis, non Mortalium ulli, ſed Sibi ſolum Nomenclaturam omnem reſervavit, voluitque ut in poſterum Ideæ omnes, *Carteſianæ* dicantur. Quo uno item nomine, dum *Ideiſtas* omnes cum Ideis

ſui

ſuis imaginariis, ſine ullo diſcrimine, è rerum Naturâ exterminat, ſentient procul dubio Dii Deæque omnes, quàm Ipſe ſibi ſemper conſtans, Animoque immotus ſit, cui etiamnum, uti priùs in Præfatione Methodi ſuæ, ſtatutum manet, manebitque in æternum, *non Divis parcere.*

IX. Ut Reſponſi Terribilis Præfatio, Authoris terribilis Ingenium & Modeſtiam oſtendat.

Ad Doctiſſimos *Academiæ Utriuſque* Viros, ut Philoſophiæ Arbitros, ſe jam tandem in *Præfatione*, ſi non Monitione ſuâ, ſignanter & voce Emphaticâ *dirigit* hic Author Terribilis. Neque enim illos nunc, ut anteà, in Ideis contemplandis, ſtudiis illis ſuis apud Authorem iſtum Phantaſticis, quibus autem apud alios inclaruiſſe eos conſtat, *nequicquam* profeciſſe, aut non *majus* potuiſſe, quam *Vitreum vas lambere*, palam profiteri Urbanum ſatis exiſtimat. Ne autem Famæ Propriæ negligens videretur, "*Scriptum*, ut vocat, *Defamatorium* contra ipſum à *Rabulâ* quodam non flocci æſtimando prodiiſſe dicit, eâ virulentia atque intemperantia conſcriptum, ut vix à mundo condito, quicquam huic ſuppar à quoquam editum aut viſum fuerit, *pag.* 1. Eximium profectò Ingenii & Modeſtiæ ſpecimen. Quo & *Se* Librorum omne genus, quos mortalium ullus unquam viderit, Heluonem egregium devoraſſe, & *Neminem Alium*, vix ullum ſaltem, fortè & nequidem Generis Humani ſervatorem unicum adorandum, gravioribus uſpiam contumeliis ac convitiis, quam ipſum, Suffenum hunc unum, petitum fuiſſe impudentius oſtentat.

Sed,

X. Ut Sibi & Doctis notus opus suum quodo utilissimum edidit.

Sed & "Tandem mihi, inquit, diluxit permagnum fortassis Rei Literariæ commodum ex Responsione meâ oriundum, *pag.* 2. Utpote fortè quòd convitia hæc fuerint "Contra virum vel sibi (nè dicam magnæ Doctorum in *Angliâ* multitudi) meliùs notum. *ibid.* Immò mox, "Virorum Doctorum precibus (inquit) permotus ad opus illud (si quod aliud) Mundo utilissimum capescendum tandem me accinxi: Et, sollicitus nè industria Virorum ingeniosorum ad cognitionem ac veram Philosophiam anhelantium, debito (prout, heu! nimis compertum est) fructu privaretur; quod inde evenisse animadverteram eò quòd *Methodi* certò *ad Scientiam ducentis* vel inscii, vel certè minimè sequaces, fuerint; *Theses* hasce, certissimas atque evidentissimas, primo in loco, veluti solas atque Unicas Philosophandi Bases ponendas judicavi. *ibid.* Quæ autem sunt hæ *Theses*? Quod *Opus istud* non permagnum solùm *Rei Literariæ Commodum*, sed & *Orbi* universo *Utilissimum*? Utramque in his Paginam facit, partésque omnes agit sua illa *Terminorum Connexio*, seu *Syllogismus*, ut alibi habet, *Demonstrativus*. Quasi verò si non Evomitiones Sergeantianas ipsi absorbere placuerit, *Imperitiam* saltem, quam Suffenus ipse *Terribilis* in *Syllogismis* conficiendis, *Aristotelem* calcando, prius turpiter lapsus. *Præf. Sect.* 43. prodiit, iterum exponendam cupiverit. De turpi hoc ipsius lapsu, si quando occasio se dederit, plura posteà dicemus. In erea autem temporis, agnoscamus hîc oportet ipsum Virum esse, & *sibi*, & magnæ *Doctorum* mul-

multitudi Notum. Suiipſius ſiquidem maxime tibicen eſt, & ingenium ſuum Doctrinamque jactat, ob quam plurimùm ſe inclareſcere prædicat. Ipſum certe *Sibi* meliùs notum eſſe, ſi qua ipſi fides habenda eſſet, non omninò abnuerem. Neque verò Negem, quòd abundè ſatis notus ſit in *Angliâ*. Immò, cùm ſcientificus Philoſophus, tam rigoroſus tum in Theologicis, tum in Philoſophicis haberi ſemper velit *Demonſtrator*, non dubitem profectò quin notus etiam ſit in *Galliâ*, notus in *Germaniâ*, notus itidem in *Italia*, & quidem Pontifici ſummo maximè. Sed quo nomine? Quo Titulo? Non alio certe quam quo melius ipſi fuerit, ſi in ſolitudine manſerit, Abjectuſque in domo Dei latuerit, non quærens quid ſibi utile, ſed quid multis:

Cæteros omnes, "Hypotheticos utpote Philoſophos, gratuitis ſuppoſitionibus Nitentes, *Philoſophorum* nomine eſſe indignos, *pag.* 4. Judicat. Ut & poſt pauca, "Eos qui non more ſuo fecerit, verorum *Philoſophorum* dignitate atque Exiſtimatione meritò excidiſſe docet, *Rabulam* præcipuè ſuum, qui *Elegantulè* garrire ac tinnire didicit, in *Scribendo Latine* non indoctus, in *Tranſcribendo ex aliis* longè doctiſſimus, *pag.* 5. Quibus tamen in verbis eâdem, quâ priùs, errat Fideliâ; Nec aliud hîc mirari ſubit, quàm Viri imprudentiam, dum de Sermonis Elegantiis, de *Latinè* ſcribendo, tranſcribendóque Ironiam inſtituens, aliqualem ſibi Gloriam inde acquiri poſſe vanus exiſtimat, cum non modò barbarè eum loqui, ſed & Priſci-

X. Authoris Terribilis Barbariſmus.

Priſcianum ipſum barbaro more ſæpiùs peccaſſe conſtet.

XII. Et Plagium. Quid ſibi autem velit Ille, dum conqueritur, quòd Carteſianæ Philoſophiæ addictus, nonnulla ex Carteſianorum Scriptis excerpſerim, ego planè neſcio. Neque enim inficias ire neceſſum ſit, dum hanc Veniam Petimus, & Damus viciſſim. Immò ipſe ille Plagiator Notiſſimus, Magiſtri ſui *Albii* veſtigia ſola premit, nihílque aliud præter ejus Doctrinam ac Principia (ſi Paradoxa quædam futilia ac faſtuoſa, ne dicam impia, exceperim) publico exhibuit. Inde ipſius Fama acceſſit, inde in *Angliâ*, Regionibuſque aliis innoteſcere cæpit. Quin plagii hujus exemplo ſint hæc, quæ in *Terribili* hoc *Reſponſo* ſuo primò occurrunt verba: "Examen primum, *Immiſſos à* D. Le Grand *aculeatos Calumniarum* Crabrones, *& obtuſos Sophiſmatum* Scarabæos, abigens, *pag.* 1. Purus putus *Blackloiſmus*. Merum ejus ſputum & Ulcus. Et quidem cùm & ipſe ex *Duacenſibus* ſim, mirabile eſt, quòd non *Muſcarium*, & *Cenſuræ Duacenæ Vindices* addiderit, ut ſic quo melius Opus hoc ſuum Utiliſſimum venderet, ſecundam Libri celeberrimi Editionem mentiretur.

XIII. Et Malignitas. Pergit autem poſt pauca: "Cùm itaque D. *Le Grand* (& Carteſiani, ut prætendit, nonnulli *Londinenſes*) *Malignam* iſtam Philoſophandi rationem in *Methodo* mea propagatam, & Doctrinæ Carteſianæ intentatam cerneret; quam cauſæ ſuæ, cunctísque quæ in Philoſophicis ſcripſerat, quæ neque ulla Principia habent, nec *Terminorum*,

Connexio-

Connexionem perferre poſſunt, *exitialem* fore prævidebat; non mirum quòd fuerit vehementi rarum æſtu percitus & uſque ad rabiem excanduerit, *pag.* 6. In *Suffemi* favorem, lego: Cum *Le Grand*, cum Carteſianis, ut prætendit, nonnullis *Londinenſibus* cerneret. Quanquam nec hæc Lectio hic emendata admitti poſſit: Cum *Carteſianos*, quos hîc alibique memorat, *Londinenſes*, non niſi in proprio ſuo cerebro exiſtentes reperiam: Id quod etiam de Irarum æſtu ac rabie ſubjectis dicendum eſt; adeò ut quicquid hîc de Grammaticali fiat, deſideretur tamen etiamnum veritas Moralis. *Malignam* autem eſſe ſuam Philoſophandi rationem, & Doctrinæ Carteſianæ *exitialem*, ſi forte, quod abſit, unquam prævaleat, non audeam negare? cùm in multis, non in *Carteſium* modò, ſed & in *Moſen*, Beatos *Joannem* & *Paulum*, immò in *Deum* ipſum, ac *Spiritum Sanctum*, uti prius *Præf. Sect.* 32, & 39, *ad* 42. oſtenſum eſt, deliquerit. Quin & in *Reſponſo* hoc ſuo hac in re terribili, eoſdem errat Errores, nec per integrum Librum videam retractandi Animum. Quid hac in cauſa, Eccleſiæ Rectores, quos Officii ſui monet, *pag.* 180. ſuo tempore fecerint, expectandum eſt.

Quod autem *Argumentis* ac *Demonſtrationibus* ſuis *rigoroſis* efficere non poteſt, ne non *Vates* eximius, qualem antea, *Præf. Sect.* 27. ſe exiſtimatum gaviſus eſt, etiam nunc reputetur, Conjecturis aſſequi conatur, ſomniatque *Rabulam* ſuum, hæc vel ejuſmodi verba ſecum tacitum ſubmuſſitaſſe: XV. Ut & Vates delirantes evaſit.

" Mene

"Méne *Gloriolam*, quam apud nonnullos Academicos, quos [lego : Academicos obtinueram, quos] ſpe Scientiæ ex Carteſii Methodo adipiſcendæ lactaveram, perdere oportere? Méne libros compluſculos, quos ad Doctrinam *Carteſianam* ornandam ac tuendam ſcripſi, tanquam falſorum Dogmatum reos, abdicare ac retractare? *pag.* 7. Eſt certè hic, ſiquis alius Mortalium ſecretorum Cordis penetrantiſſimus. Eſt hic quidem ille, qui Academicos, à quovis *Rabulâ* lactari poſſe arbitratur. Quæ autem hæc impotentis Animi indicia? Quæ Hominem hunc agunt intemperiæ? Quod in ſui honorem à ſe certè taceri oportuit, jam tandem cerebro incaleſcente, ab ipſo cum ineptiis aliis multis eructatur. Multis ſiquidem curatum eſt, ut ex Hominum memoria excideret, quàm ipſe olim *Suffenus* iſte, notionibus propriis nimis fidens, tam incautè ſcripſerit, ut coram Tribunali ſiſteretur, nec inde priùs dimitteretur, quàm proprio Ore, ac Manu, delicatiſſimum Ingenii ſui fœtum damnaverat: Non priùs quàm Gloriolam, quam apud nonnullos obtinuerat, quos ſpe ſcientiæ ex methodo ſua adipiſcendæ lactaverat, perderet: Non priùs quam Principia ac Propoſitiones, quibus Univerſa ſua, & Philoſophi ſui Doctrina inniteretur, conculcari ab Aliis, tanquam Errorum farraginem permitteret. Quod autem illi tantopere celare ſtuduerunt, futilis ille Vir, ſecretorum minimè tenax, pleno ore evomuit. Verùm, quid ab Homine iſto expectandum cui læſum videtur cerebrum? Quid ab eo,

qui

qui vehementi irarum æstu percitus, usque ad rabiem reverà excanduit. Dignus certe, qui à secretis sit "Episcopo suo, si quem habet, magni nominis atque eruditionis viro, quem asseruisse ait, quendam sibi notum, & Scriptorem non ignobilem, ex *Malbranchii* Lectione, adeò pæne dementatum, ut Hominum Societatem refugeret, *p.* 20. Dignus qui "Illi comes sit, quem D. *Philippeaux* sibi retulisse ait, amicum ac condiscipulum quendam suum Parisiis in Collegio dicto de *Lisieux*, *Cartesio*, ac præcipuè *Malbranchio* legendo adeò addictum fuisse, ut in eis defendendis usque ad furorem incalesceret, tandemque aliquando in Domibus, ubi mente capti asservantur [*Les petits maisons*] concluderetur. *ibid.* Dignus denique, qui non inferiori loco habeatur, quam ille alius *Malbranchianus*, de quo lepidam Historiam suam, seu potius Fabulam narrat, dignam & illam certe, quæ in favorem Authoris, cujus & ingenium, & judicium maxime ostendit, integra repetatur, ac cum Notis & Observationibus illustretur.

Sic incipit: "Cum Philosophiam tuam dixeris cum *quodam lepore sibi consentire*, *Lepidam* Historiolam tibi narrabo de alio *Malbranchiano*; eodem scilicet viro, qui *Malbranchii* libros *de Investigandâ veritate Anglice* vertit, qui adeò meticulosus & phreneticus evasit ex Lectione *Malbranchii*, ut omnia metueret, ubi nulla omninò metus causa fuit, *pag.* 20, 21. Lepida proculdubiò est *Fabula* ipsa, cujus *Prologus* est tam lepidus. Dignum est patella operculum.

XV
Lepidus lepidæ Fabulæ prologus.

In

In *Epiſtolâ* nimirum *Dedicatoriâ meâ*, videre eſt *Philoſophiam Carteſianam* à Viro clariſſimo, Veritatis cultore, Patrono itidem meo ſemper colendo, *Urbi*, quæ æqualibus *Ædificiis*, undique cum quodam lepore conſentientibus inſtruitur, comparatam. Quæ quidem verbula illa, *quodam lepore*, lepido huic Authori noſtro, ita ſuavia ſunt, ut ea hîc, alibique ſæpius, Brutorum quorundam Animalium more, ruminet; multum ſcilicet ſolicitus, quomodò ex vivida ſua, qua pollet, *Phantaſiâ*, Virum nobiliſſimum ſpiculis ſuis venenatis petat; ut non audeant Ulli in poſterum cauſæ Carteſianæ, contradicente vel uno hoc ſcriptore terribili, patrocinari: Neque verò aliud ab ipſo expectari potuit, cui ſtatutum eſt, quod prius notatum, nec obliviſcendum unquam, non *Divis* parcere. Quid autem aliud? Caveant etiam oportet ſibi omnes *Romanæ* Curiæ Principes. Nempe, ſi *M. T. C.* Romanæ eloquentiæ parens, aliique primæ claſſis Authores, leporem dicant non tantum de Sermonis & Orationis puritate & elegantia, ſed etiam de Liberalibus Artibus; immò ſi vox iſta apud ipſos etiam in Rebus aliis omnibus venuſtatem & dignitatem non raro denotet; illud quidem parum eſt, cum & obſervandum ſit, quod *Lepor* & *Lepidum* dicantur in oblectationibus parvi momenti, & *Lepor* aliquando ſit in vitio; Unde & ſcurrilis lepor audit; Quo dicendi genere, *Lepidus* iſte ſcriptor noſter, ſibi maxime placet. Magnus profectò in Jocando lepos eſt in Homine. Certe vero cum de pavido

&

& meticuloſo quodam Animali Fabula hæc Lepida narratur, Mirari eſt, quod Lepidus iſte Vocularum Venator, non etiam, pro ſua in variis Lectionibus peritia, Vocem, *Lepore*, Secunda brevi, hic exponeret, ut ſic citius captaretur Jocus. Immò verò mirandum eſt, quod tam diſertus Leporum ac Facetiarum Vir, non Vocis, *Lepore*, Secundam, vel etiam invita Minerva abbreviaret; Idque multa ſua ſolida cum Ratione, non minori certe, quam in Voce, *Euphrates*, Ille, ſibi fortè optimè Notus, qui ut *citò* tranſiret, *corripuit* Fluvium.

Poſt Prologum autem ſequitur Fabula: XVI.
"Hoſpitabatur forte in Domo quadam ubi, Fabula ineſcio quo informante, Traditores nonnulli ſa Lepida.
latitare dicebantur. Circumſepta erat Domus nocte valde tenebroſâ. Is, licet nihil ſibi Conſcius, provolvit ſe è lecto, & vix bene veſtitus in hortum ſeceſſit tremebundus, & arborem conſcendit; ubi in tuto, modò ſiluiſſet, eſſe poterat. Accidit autem, ut, cùm Exploratores illâc tranſibant, & jam ſub arbore illâ erant, adeò Panicò terrore Correptus ſit, ut, ſolutâ præ metu alvo, Strepitum ediderit (forſan etiam odorem) cujus indicio captus eſt, & coram Juſticiario adductus; à quo agnitus eſt, & (fuit enim Vir innocentiſſimus) ſtatim dimiſſus. *ibid.* Innocentiſſimum Malbranchianum iſtum forte dicit, eadem figura, qua Carteſium ingenioſiſſimum alibi dixit, quem tamen defectu Logicæ, vel *Chriſtum ſolviſſe* aperte nimis innuit. Ut ſic qui in Prologo ſecretiùs Patronum meum laceſſerit, ſe nunc παράνυμ-

μεσημβρινὸν. Adversarium, qui Malbranchianos, Cartesianósque omnes media luce lacessivit, ostendat. Quanquam forte quidem innocentissimus & iste Fabulator, se sub Terribili hac Adversarii Terribilis Specie solum Exhibuit, ut risum & Cachinnos moveat. Bene est: Actum igitur egregiè. Plaudite, immo ridete Omnes. Nam hic certe miro *quodam lepore*, sibi consentiunt Omnia.

XVII. Fabula alia.

Quin igitur nisi defessus sis, quisquis hæc legis, ridendo, Ecce & Alium "Octogenarium pæne, sed cui (miro Dei beneficio) Memoria, Phantasia ac Judicium æque vigeant ac si non nisi Quadragenarius esset. *pag.* 10. Is certe post Cartesium & Malbranchium ab ipso non dicam Lectos, sed suo modo confutatos, tam meticulosus ac delirans evasit, ut ad ipsum Defensionis Cartesianæ Nomen pavesceret, ac Inquisitionem in Somniis suis inhorruit; cum tamen putabatur Cætera (Ipso iterum, iterúmque repetente) Vir Magnus, Pius imprimis & Doctus, acerrimi Ingenii, Copiosæ Facundiæ, Morum Suavissimorum, & Diligentiæ admirandæ.

XVIII. Quem Episcopum Author terribilis hac in re consuluit.

Quin non abs re forte erit, si hic quæram, quæ Authori terribili Fides sit adhibenda, dum ait, Episcopum quendam, quem honoris causa invisit, gratias Ipsi egisse, quod in *Methodo* sua *Malbranchium* oppugnasset, asseruisséque quendam sibi Notum, & Scriptorem non ignobilem, ex *Malbranchii* Lectione adeo pæne dementaum, ut Hominum Societatem refugeret. Quod citatum est ex pagi-

pagina 20. Quis enim Episcopus Ille, quem sic invisere dignatus est? Præsules certe Duos, quos Ipsum consuluisse debere putabam, adii. A Neutro hæc Fabula dicitur. Unus autem dixit, Se agnoscere *Illum*, Authorem nostrum, *longiùs quam par fuerit, progressum esse*. Alter vero, quod *Manus Ejus contra Omnes, & Manus Omnium contra Eum*. Verum quid Istis cum Illo, cui fixum est, rem habere cum Credulis nimis; nequaquam autem cum iis, quibus adeo abundat Charitas, ut sint in Partibus Infidelium.

XIX. Authoris terribilis Urbanitas.

Quin Multa demum in Præfatione sua de Propriis Conatibus " Sibi *proponit*, nec *Probata* dare (si Ipsi credamus) ambigit Nugivendulus Ille: Quibus ab Ipso Agyrtarum more enumeratis, Epiphonematé que addito, quo in se recipit, quòd *Cartesiani* neque id facturi sunt, ac nec facere possint; Viros quidem Ornatissimos confidentiùs appellat, neque Immodestiæ, quam conscius subit, Censuram impedire sinit, quo minùs affirmet hanc suam *Unicam* esse *Viam*, quâ cunctis innotescere potest, ex utrâ parte Veritas stet. Móxque addit, se esse Profectus Academicorum, in Veritate ac Scientiâ Studiosissimum, *pag.* 9: ad 12. Quid certe supra Mortales cæteros in Libro suo Terribili præstabit, mox pateat. Hîc Authoris hujus *Modestia* desideratur, qui in Omni hac Præfatione sua ad Utriusque Academiæ Viros Doctissimos, totus iterum est in Aliorum Vituperatione, ac propriis Laudibus; Quosque prius in Idæis, quibus inclaruerunt

runt, parum aut nihil profecisse inurbanius asseruit, ne Ipsis assentari videatur, nunc etiam ullis in Studiis inclarescere non dicit, sed Eorum Profectui in Veritate ac scientia (quibus scilicet defectu Logicæ suæ Demonstrativæ deficiunt) pro Mira *Urbanitate* sua, se maxime studere humaniter concludit.

XX Et inerrabilitas.

Sed & Altera jam restat ad Doctos *Academiæ* Utriusque *Præfatio*, seu potius Monitio, quam hic laudare saltem oportuit, quanquam in Ea integra, quicquid prætendit, Nihil aliud magis Notatu dignum occurrit, quam quomodo vanè recriminari conatur, multísque agit, Ne Viri jam omni Scientiarum genere Excultissimi, à Philosophia Cartesiana diutius se Lactari permitterent; sed Ipsum illum *Suffenum* hunc nostrum, Idearum Ideistarumque omnium *Spretorem*, Authorem certe *Terribilem*, Philosophum *Scientificum*, & Demonstratorem unicum *rigorosum*, si veram unquam *Scientiam* attingere velint, in *Terminis* connectendis, ac *Syllogismis* conficiendis Ducem *Inerrabilem* sequerentur.

XXI. Quæ ratione Responsi terribilis Corpus oppugnatum est.

Notatis hactenus Adversarii Elegantiis, seu potius Ineptiis non paucis, Responsi ipsius *Corpus* nunc aggrediar, Ea quæ ipsi in Præfatione sua, pag, 1. placuit, si fieri potest, Methodo. Primum siquidem *Præfationem* meam, Dein *Dissertationem*, Tertiúmque *Appendicem*, ab omnibus ejus Ictibus sartam tectam tuebor: Neque Vim ejus ullam effugiam, sed Ipsi lubens occurram, quo hinc, ac ex Silicis Chalybisque Collisione, Veritatis Scintillæ eliciantur, certó-

que

que Stet quàm quæ Ipsi Objecta sunt, non sine ratione facta sunt; quámque etiam irritus sit Peripatetici, si quidem Peripatetici, irreconciliabilis contra Philosophiam Cartesianam Conatus; Nihil autem ultra Solicitus, quid Ineptiis, quibus à Proposito me avocare studet, ineptiat.

Id autem in primis animadvertendum est, quam ægre fert Ille, quod non citius Ipsi opposuerim, tanquámque Dedecorum Mihi objectat, quod in Oppositione mea effingenda, biennium impenderim, *pag.* 1. Sed id sciat velim ab Amicis quidem suis me accepisse, Ipsi maxime Cordi fuisse, ut quidpiam contra suam *Sciendi Methodum* aggrederer, Verum Voluntati suæ tum temporis Morem gerere non placuisse, donec in Lucem emitteretur *Solida* sua *Philosophia*; Fore enim arbitrabar, ut quæ in Priore Libro emisserat, Paradoxa, in Secundo retractaret, aut saltem Explicationibus quibusdam mitigaret. Verum ubi hoc quoque juris publici facto, comperi Ipsum Eorundem esse tenacem, & Opiniones mordicus tueri, quas primo Libro inseruerat, impulit animum Veritatis amor, coegitque ut Me ad Ejus defensionem accingerem, atque *Rationem Cognoscendi* suæ. Sciendi Methodo Oppositam, cum *Appendice* de Formali Mutatione, ac *Præfatione* satis copiosa, Orbi traderem. Quod Opus subsecivis horis, Mense uno aut altero, absolutum Londinum transmisi. Quod quidem [illegible] solet, Ostentationis ergo, sed ut Ipsi manifestum fiat, Me vix bimestri, nedum Bi-

XXII. Festinandum Lente.

ennii ſpatio, Curas omnes meas, quas ſpernit, peregiſſe. Neque vero id vitio Vertendum ſi Lente feſtinaverim, nec Fœtum rudem ac illotum expoſuerim, ſed in Lambendo, ut habet, Catulo meo tempus aliquantulum conſumpſerim, cum jam pluribus Exemplis oſtendit Ille, quam Cæci ſunt, quos Canis feſtinans parit.

XXIII. Falſificationes terribiles.

Recenſet mox Virulentas, uti vocat, Calumnias, quibus vult me non ſolum dicere Illum *Aſinum* eſſe, *pag.* 2. Sed & ipſo Libri mei Titulo, *pari Verborum tenore*, Illum *Divini Numinis*, ac Philoſophorum, quos nomino, Adverſarium eſſe poclamare, Immo *ipſum Deum* adoriri, *pag.* 3. Uti & in Præfatione ipſa, Illum *Oſorem eſſe ipſius Dei, & in Deum illum eſſe impium*, abſolute aſſerere. *ibid.* Verum non Majore certe Fide quam qua dicit, quod integrum annum, ne ſeſquiannum addam, in Catulo meo formando Lambendóque inſumpſerim, *pag.* 1. non majore quam qua dicit, quod illum antea in Scriptis meis vel ipſo [lego: ipſi] Lucifero æqualem *ubique* depinxerim, *pag.* 4. Non majore quam qua Errores meos, ſi quos forte invenerit, *amice* redarguere, Mihíque ſe *Amicum* eſſe, per integrum hoc Reſponſum ſuum Terribile profeſſus eſt.

XXIV. Cautio Amica.

Verum, nec illud hic Omittendum, quàm ſerio Me monet his verbis: "Cave ſis, mi Amice, te Oro obteſtóque, ne *felle amaritudinis* [illegible] totus perfuſus es, ſuaviſſimum Charitatis *ignem* & Spiritus Sancti Motus in te *non* extinguas, *pag.* 4. Quaſi vero non cavendum ſit, ne quis extinguat! Scilicet iſthoc

isthoc est More suo & Verbis Sapere. Verum non mirum est, si cui propriiOculi *Felleo* isto humore tincti sunt, Eodem Alii omnes *Morbo* laborare ipsi videantur.

XXV. Quo Motivo Author terribilis Philosophica Scripserit.

Dein vero, Motivum memorat, quo ductus Philosophica Scripserit: " Me sic feriatum, & de scribendo Philosophica ne quidem somniantem, Invisit Vir in Multifariâ Literaturâ Versatus, *pag.* 5. Esto: Sed & Ipsum non ad Logicas suas Nugas, tricasque illas alias Philosopho indignas, verum ad Meditationes quasdam sacras amicissime incitavit Vir Doctissimus, Dedecorosum existimans, ut qui Juvenis Theologica scripserit, ætate jam provecta, Senex, Octogenarius pæne, in Ineptiis suis Scholasticis delirare videretur: Pergit: " Idem [Authorem scilicet terribilem invisendi Copiam] à me petierunt Unus aut alter, Viri Clarissimi ac Doctissimi. *ibid.* Sunt autem, ne nesciamus, D. K. & D. H. Uterque pro modulis suis Philosophiæ Blackloanæ Addictiores, & (quod majus est) ex celebri Eorum Cœtu, quibus curæ est, Terribile hoc Responsum suum tempestive ac intempestive magnis præconiis celebrare, palámque denuntiare, Impossibile esse, ut ei Rabula suus quicquam reponeret. Pergit autem: " Hi, inquam, junctis precibus, me rogabant, ut, jam senectute provectus, aliquid tandem aliquando in Rei Philosophicæ commodum conferrem; neque Maturiorem vitæ meæ partem Otio nemini profituro transigerem. *ibid.* Nec sine Ratione quidem: Cum Ille Fidus Ipsi semper fuerit Achates suus. Hic

autem Medicus ille, cujus Cubiculum ne non propriis Meritis ſatis inclareſceret, in ſua *Sciendi Methodo*, Loco maxime opportuno, Exactiſſime, pro Peritia ſua in Geographia, deſcripſit, ut non Agyrta quiſpiam per totum terrarum Orbem magis Notus ſit. "*Quæſt. Ubi*, ſeu quo in loco habitat Dr. H? *Reſp.* in *K---ſtreet*. *Q.* Ubi eſt iſtud *K---ſtreet?* R. in *High Holborn*. *Q.* Ubi eſt *Holborn*? R. Ad occidentalem partem *Londini*. *Q.* Ubi eſt *Londinum*? R. Circa Medium *Angliæ*. *Q.* Ubi eſt *Anglia*? R. In tali parte (deficit hîc Geographicus) *Europæ*. *Q.* Ubi eſt *Europa*? R. Ad Boreo-Occidentalem partem Telluris. Et, ultra hoc (ſi quidem, tam longè) Nemo ex Generis Humani Generalitate Occaſionem habeat Inquirendi; licet fortè Artiſtæ, vel Geographi ac Aſtronomi habeant; nec opus eſt Majore Immobilitate ut certò ſciamus, ubi Peritus ille Doctor habitat, cum hoc ad Illum inveniendum Nobis ſufficiat. *Meth. pag.* 92. Deſideratur quidem Geographi Peritia in deſcribendo qua parte Europæ inveniatur Anglia. Hoc uno autem dato, Emoriar ſi quæ in Compitis & Oletis figuntur Chartulæ, Virum clarius aut doctius Demonſtrent.

XXVI. Quid momenti contra Philoſophiam Carteſianam Objectum eſt

His autem notatis, Oportet ut ad Methodum dictam me nunc Conferam, nec patiar ut ab Authore terrifico, in neſcio quæ loca Devia, ut ſic è Manibus elabatur, Correptionémque Meritam effugiat, ducar. Et quidem, Cum *Præfationem* meam multis onerat, ne longius Erremus, *Præcognoſcenda* intu-

intueamur, Ubi primo *Philoſophiæ Carteſianæ* quoad ejus Authorem, Methodum, & Materiam à *Sect.* 1. *ad* 25. habeatur Deſcriptio. Quid his reponit *Suffenus*, Author tetribilis? "Decretum (inquit) Mihi erat, poſtquam Tractatum Metaphyſicum, quem præ Manibus habebam, abſolviſſem, Carteſianam Hypotheſin, in quantum ſanæ Philoſophiæ Principiis [non igitur abſolute ut alibi] injuria erat, in juſto [non iniquo ut nunc] Libro oppugnare. Præripuit Mihi (ne actum agerem) facultatem quod propoſueram Scribendi importuna D. *Le Grand* reſpondendi Neceſſitas; coegitque ut *Opus* illud pro *Opuſculo* iſthoc commutarem. *Præf. pag.* 8. Poſteáque in *Reſponſo*: "Non hîc commemorare libet, quàm ſæpè ſibi contradixerit Carteſius in *Methodo* ſuâ ſtatuendâ ac proſequendâ. Forſan meliùs id reſervandum, donec ad ſex Carteſii *Meditationes* (Modò Deus otium dederit) expendendas Operam noſtram conferamus: Quibus ineſſe quidem plurimum Ingenii, at nihil prorſus ſani Senſus aut Artis, oſtendere facillimum eſt, *pag.* 197, 198. Nihil certè aliud Momenti alicujus ſi quod *Carteſium* ipſum ſpectat, de quo mox erit dicendi locus, exceperim, hîc habet, quam ſe alio tempore *Meditationes* Ipſius (ſiquando forte Ipſe eas legerit) confutaturum. Interea igitur temporis expectemus.

XXVII. Ut Terribilis ſuper ſe Philoſophiæ Carteſianæ ignarum eſſe ingenue confeſſus eſt.

Quin hac Occaſione hic notare licet, quam recte Conſcientiam Ejus appellaverim, num vel unum ex Libri meis Latine aut Gallice Scriptis, aut aliquem Carteſii

(ſi

(ſi Meditationes Ejus forte exceperim) Tractatum unquam legerit. Quid enim Ille? In Meis totus Mutus eſt. De Carteſio autem ita ſcribit: "In *Carteſii* laudes totus effuſus es: Quis, obſecro, eum vituperat? Videbit Lector, licet tu id diſſimulas, quibus laudibus eum proſequar in Præfatione ad *Methodum* meam. Multa egregie ſcripſit: Nihil diſertius aut nervoſius quam Liber ille *De Paſſionibus*. *Pag.* 17. Sic autem Clariſſimi Viri D. *Lockii* Tractatum, quem in Præfatione Methodi, *p.* 57. & in Appendice ſua, *p.* 417. multis celebraverat, non diu poſt, in Præfatione Solidæ ſuæ Philoſophiæ, *Sect.* 2. non niſi curſim, aliquibúſque, ſeu paucis in locis ſe inſpexiſſe dicit; Immò, *Sect.* 16. clariſſimum virum Specie quadam Dementiæ incuſat. Pergit: "*Dioptrica* ipſius unà cum D. *Albio*, cujus ope ad intelligentiam illius conſequendam tunc uſus ſum, *Anno* 1655, legi; & ut par erat *Miratus* ſum, *ibid.* Verum diſertus ac Nervoſus ille de Paſſionibus Liber, *Admirationem* Ignorantiæ eſſe ſobolem docet. Quin & his verbis ſatis apertè ingerit Author terribilis, Se nihil aut parum de Carteſianâ Philoſophiâ hauſiſſe, & non niſi Eam expugnare, quòd Blackloanæ Principiis adverſetur, Eámque penitùs deſtruat.

XXVIII. Ipſius Cor ac Lingua Duplex.

Quin & de *Carteſio* hæc addit: "Ubique, etiam dum errat ingenioſiſſimus eſt. Præcipuum & pæne ùnicum quod in ipſo mihi diſplicet, eſt *Methodus* in quam incidit; non alia de cauſa, ut exiſtimo, niſi quod veræ Metaphyſices ſtudio (neſcio quo caſu)

caſu) non adeo excultus, indéque veræ Logices Regularum ſequax non fuerit. Quibus ſi admirandum, ac pæne Divinum, tanti Viri ingenium examuſſim ſe excoluiſſet; ex *Terminorum Connexione*, in *rebus* ipſis originaliter fundata, & non ex vivida *Cogitationum* ſuarum indole, Veritatem æſtimaſſet, aut de ea judicium tuliſſet. *ibid.* Verum, ſi *Methodus Carteſiana*, præcipuum pænéque Vnicum ſit, quod Authori huic noſtro terribili diſpliceat, quid rei eſt, quod Virum ipſum Clariſſimum, quem tot, tantíſque Laudibus proſecutus eſt, Fanaticum, Entheatúmque eſſe prius aſſeruit, atque etiamnum aſſerere non erubeſcit. Fanaticiſmus certe ac Enthuſiaſmus iſte tam admirandi ac Divini ingenii, Innocens omnino eſt ac Divinus, aut Ipſi, quod Monſtroſum ac terribile ſatis, Cor ac Lingua Duplex eſt.

XX X. Methodus Carteſiana cum Authore laudatur.

Quam de *Methodo* Diſſertationem ſcripſit Carteſius, ſi conſuluiſſet Scriptor Terribilis, à Calumniis certe, hac in re, abſtinuiſſet, nec Methodum hanc ad *Inſaniam* ducere, quod multis contendit, *pag.* 195. *ad* 232. vel auſus eſſet murmurare; cum Eam qui vel primis labris deguſtarunt Divinam ſentientes, maximis præconiis celebrant, Soluſque Author noſter, Ridiculum Caput, ſed & Homo hac in cauſa Nequiſſimus, non lectam blaſphemat. Viri certe Clariſſimi modeſtiam, quam ad Methodum ejus deprimendam non veram, ſed ſimulatam obtendit, *pag.* 15. non eſt quod ulterius laudem, cum hæc ſint non Authoris quidem noſtri

noſtri Terribilis, ſed Adverſarii Doctiſſimi verba, in initio Objectionum Primarum: "Eſt ſanè D. Carteſius, quantum animadverto, Vir Ingenii maximi, Summæque Modeſtiæ, quales vel ipſe momus amet ſi adſit. Quid quòd *Albius* ipſe, *Renati Deſcartes* Librum, ut habet, ingenioſiſſimum laudans, Ipſum multis extollit: "Neque Librum ipſum neglexi, & Divinum Viri ingenium quàm maximè ſum demiratus, tam graviter multa & abditiſſima quidem promit, tam dilucidè obſcuriſſima quæque explanat, experimentis confirmat, & ſubtiliſſimis Rationibus acutiſſimè pleraque concludit, & eſt uno verbo Philoſophiæ Spes altera. *Dialog.* 1. *de Mundo, Nodo* XI. Et in Secunda præfatione ſua, Latinæ D. *Digbæi* Editioni præmiſſa: "Secundam de principiis Corporum Naturalium Sectam & inchoavit, & Magnâ cum Famâ duxit Renatus Deſ-Cartes admirando Vir ingenio, & non niſi ſuperatâ Geometriâ ad Phyſicam aggreſſus. Hic Vir propoſito ſibi (quantus eſt) Naturæ Utero, Neque Giganteas ejus proles horruit, Neque Myrmecias deſpexit. Sed omnibus providit unde naſcerentur, quo alerentur, & qualiter aliis decederent, conditrice propèmodum Comprehenſione. Quin & his accedat Elogium quod de Ipſo dedit Nobiliſſimus *Digbæus*: "Cæterum integra de Meteoris Doctrina, tam copiosè, tam ingeniosè, tam denique accuratè, à Renato Carteſio Viro nunquam ſatis laudato tradita eſt, ut & Otio meo lectoriſque patientia abuterer ſi materiæ huic diuti-

diutiùs immorarer: Nec dubito quin ſi Ejuſdem Lucubrationes Phyſicæ, priùs in lucem editæ fuiſſent, quam Ego opus hoc aggreſſus eſſem, magno me in Corporum Naturis explicandis, labore atque onere liberaſſent. *Tract. de Nat. Corp. Cap.* 17. *Sect.* 1. Videmus igitur Carteſii apud *Albium*, Divinum Ingenium; ut & ipſum Virum, apud *Digbeum*, nunquam ſatis Laudatum; immò in Phyſicis ita clarum, ut ſi priùs Lucubrationes ſuas edidiſſet, magno Ipſe in Corporum Naturis explicandis, labore atque onere liberaretur; in Unius autem Authoris Noſtri oculis ita deſpicabilem, ut etiam ob *Methodum* ſuam, fundamentum illud, Cui omnia ſua ſuperſtruebantur, *Fanaticus*, *Entheatus*, & *Demens* ſit cenſendus.

XXX. Notiones cum Præjudiciis de fectu Dubitationis certis confundi non debent.

Ne Lectori autem imponere Videar, & Philoſophiæ Carteſianæ rudem Authorem hunc Noſtrum ac Peregrinum injuria propalare, Exemplum aliud in Medium adferam, quo Ejus hac in re Ignorantia apertius pateſcat. Philoſophus, quatenus in Rerum Inveſtigatione cautius procederet, *Præjudicia* omnia abdicanda eſſe exiſtimat: Hic veluti ejus Interpres accedens, *Hoc eſt*, inquit, *dediſcere inter res alias*, *Ea omnia quæ Lumen Naturæ docuerat*. *Præf. Sol. Phil. Sect.* 14. Nec diſſimiliter quidem in Reſponſo terribili. An hunc autem non pudet, cum Vir Doctus, & in Metaphyſicis Verſatiſſimus haberi velit, Notiones cum Præjudiciis confunde e; Non enim quæ Naturæ lumine Nobis innoteſcunt, Præjudicia nuncupari poſſunt. Sunt enim *Notiones*, Principia quædam

quædam, quæ cum à Patre Luminum Animis Noſtris indita ſint, Omnium, quas in Scientiis Comparavimus, Concluſionum fulcra ſunt ac fundamenta. *Præjudiciorum* autem Nomine intelliguntur Opiniones illæ ab Infantia hauſtæ, quæ in Errorem nos inducunt, quæque non niſi Matura ætate, rebus diligentius perpenſis, corriguntur; Cujuſmodi ſunt Judicia illa, , quæ de Cœlo, de Stellis, de Terra, rebuſque aliis plurimis, minus circumſpecte ac ſine *Dubitatione* prævia formare ſolemus. Et certe qui citra Partium Studium, Omnes Ejus Objectiones, Reſponſiones, Interpretationes ſerio perpenderit, Non niſi longam hujuſmodi Prævaricationum ſeriem deprehendet.

XXXI. Quæ Veritatis Regula, & quod Primum cognoſcendi Principium.

Quam *Veritatis Regulam* dixi, *Claram* nimirum & *Diſtinctam Perceptionem*, non nimirum eſt, ſi cum primo cognoſcendi Principio rejiciat Author noſter, cui ſola amica eſt obſcuritas, & quam ad Paradoxa ſua ſtabilienda ubique adhibet, Cujus rei certe Specimen egregium eſt, dum *Res ipſas cognitas* in Mente revera exiſtere, & *Mentem* ipſam *Res ipſas* eſſe doceat. Neque vero quid habet quo minus Principium illud, *Cogito ergo ſum*, quod Ipſi adeo moleſtum eſt, primum principium Complexum, quod Cognitionis vocant, & primum Veritatis inveniendæ principium habeatur: quia quæ præcedere poſſunt, hæc aut Propoſitiones non ſunt, ideoque vim principii prædicti habere nequeunt, ut *Eſſe, Ego.* Aut ſi propoſitiones fuerint, hæ non ſunt notæ apud

apud illum, qui Corpus ſuum à ſua Mente non diſtinxerit; aut ſi notæ fuerint propoſitiones nondum eæ certæ ſunt, ut *Ego ſum* apud illum, qui ſuam Mentem à ſuo Corpore diſtinxerit quidem, eámque noverit *Cogitare*, ſed nondum animadverterit ſuam hanc Cogitationem Neceſſarium eſſe ſui ipſius Exiſtentis Argumentum. Id quod Regulæ Carteſianæ debetur. Nam licet diffiteri nolim, multas ante Carteſium in Scientiis Humanis Veritates fuiſſe detectas, idque vi claræ & diſtinctæ Perceptionis, non tamen illi Veteres ſatis animadverterunt, Eam pro omnis Veritatis & Certitudinis immutabili Cynoſura eſſe habendam, Eique ſoli aſſentiendum, quod claræ & diſtincte fuerit intellectum. Cum enim Solus ille à generali Dubitatione de omnibus in quibus vel minima ſuſpicio falſitatis occurrit, inchoandum eſſe cenſuerit, ut certiora & ſolidiora Principia Philoſophiæ poneret, Occaſio varia ſuppeditata fuit agnoſcendi, id ſolum pro Vero eſſe habendum, quod clare diſtinctéque percipitur, nec aliud priùs quam prædictum principium Philoſophanti occurrere, quod rei alicujus exiſtentiam præbeat.

XXXII. Tres Senſus gradus recte aſſignantur.

Quin cum in Senſu Tres gradus cum *Carteſio* poſuerim, quorum *Primus* eſt Motus Organi Corporei; *Secundus* perceptio Mentis; *Tertius* Determinatio Judicii ad aliquid affirmandum vel negandum, Diſtinctionem iſtam rejicit Ille "Secundum de Perceptione ad Judicium non ad Senſum ſpectare exiſtimans, immò neminem Mortalium, nedum

nedum Doctum, adeò penitus deliraſſe, ut Judicia Senſibus ineſſe aſſerat vel exiſtimet. *pag.* 89, *&* 99, *ad* 107. Cum tamen hanc Mentis Perceptionem proprie ſtrictéque *Senſum* nuncupari debere docuit *Cicero*, lib. 4. Acad. Quæſt. " *Mens Ipſa*, inquit, *quæ Senſuum fons eſt, atque etiam ipſa Senſus eſt, Naturalem vim habet, quam intendit, ad ea quibus monetur.* Et *Tertullianus*, ni fallor alicubi : *Animæ Anima Senſus eſt.* Quid verò Senſus ille, niſi perceptio ? Sed & magis fortè ad rem præſentem facit illud, quod Doctis Viris Uſurpatur : *Verè non ſentimus* (Senſum perfectum non habemus) *niſi ſentiamus* (id eſt, percipiamus, ſecundo gradu) *nos ſentire.* Et maxime illud *Ariſtotelis* Probl. 33. *Sect.* 11. *Senſus ubi ſejunctus ab Intelligentiâ eſt, Laborem velut inſenſibilem habet : Unde dictum Mens videt ; Mens audit.* Unde & *Strato Lampſacenus* idem eſſe dixerit αἴσθησιν καὶ διάνοιαν id eſt, Senſum & Cogitationem Mentis. Quin immò docuit Experientia, quoties Anima vel Extaſi, vel aliâ Contemplatione diſtracta, velut extra Corpus ponitur, Hoc totum torpidum ſine Senſu ſtupere, quæcunque etiam objecta admoveantur, Certiſſimo Argumento, non Corpus, non Membrum, aut Organum aliquod Corporis, at Mentem ſolam ſentire. Neque verò prætereundum eſt, quam hæc de Senſuum gradibus diſtinctio, ad Nodos Varios in S. Literis explicandos inſerviat. Quippe Actor. IX. 7. Sauli Comites affirmantur *audiviſſe Vocem* &c. Act. XXII. 9. negantur. Ubi Doctiores Interpretes hanc Concili-

Conciliationem adferunt, quòd prior locus ſit intelligendus de auditu, quem non comitabatur intellectus (hoc eſt, uti nos loquimur, de auditu in ſolo primo gradu) & poſterior de auditu cum intelligentiâ conjuncto (hoc eſt, de ſecundo auditus gradu, ſeu perceptione Eorum, quæ dicebantur.) Et Marc. IV. 33. *Loquebatur eis Verbum, prout poterant audire*, intellige Secundo & Tertio gradu, Hoc eſt, percipere & judicare. Et Joh. VI. 60. *Durus eſt hic Sermo, quis poteſt Eum audire*, Hoc eſt, quis poteſt Ei aſſenſum præbere, potiſſimum enim hîc reſpicitur tertius gradus Senſus audiendi, qui eſt Judicium, quo aſſenſum aut diſſenſum præbemus, quamvis hoc Judicium perceptionem prærequirat. Mitto cætera, quæ etiam videre eſt apud Carteſianum quendam, quem hic non nomino, ne & Ipſum etiam ſibi hactenus non Notum, nedum lectum, nominatim damnet Author Terribilis.

Quin & "Ipſi, ut inquit, confutare incumbit illud, *Judicium non ad Intellectum, ſed ad voluntatem referri, pag.* 101. *ad* 109. Cùm tamen attendenti, ut habet Carteſianus alius Authori noſtro ignotus, manifeſtum erit, quòd præter perceptionem, quæ omni modo neceſſaria eſt, antequam judicare poſſimus, neceſſaria ſit affirmatio & negatio ad formalem Judicii Rationem. Multa enim percipimus, de quibus non judicamus. Et cum tantum Duo agendi modi generales mentis noſtræ dentur, & Judicium differat à Ratione formali agendi Intellectus, *ju-*

XXXIII. Judicare eſt voluntatis actio.

dicare enim non est *percipere*, aut intelligere, sed est illi aliquid superadditum, & formâ ab eo diversum, judicium non potest non ad Voluntatem pertinere. Præterea cum de aliquibus rebus judicem, de Aliis non, necessario diversitas illa operationis à voluntate procedit. Nam quamvis propter evidentiam sæpius aliter judicare non possum quàm judico (quia Voluntas non potest ferri in malum quà malum, aut in Falsum. At id fieret, si evidens *Verum*, *Falsum* esse judicaret) possum tamen à Judicandi actione me temperare: Huic accedit, quòd malè vel benè judicando benè agitur, aut peccatur; ergo *Liberè* & Facultate electivâ bene vel malè judico, à Voluntate itaque judicium. At Intellectio necessaria est, & Specierum Idearúmque perceptio tam parum Intellectui libera est, quàm speculo objectas Imagines recipere, & ideò Intellectione propriè dictâ nunquam peccatur; nempe quia non est Facultas Elective. Præterea cùm ex omnium sententiâ Affectus plurimum officiant judicio, sequitur judicium ad Intellectum non pertinere. Quomodo enim Affectus Judicium corrumpunt? Nonne quod Voluntatem blande disponunt ad ita judicandum, quo nos Affectus rapiunt.

XXXIV. Ideæ & nomine & re asserta.

Quoad *Ideas*, in quibus rejiciendis totus est, *pag.* 115, *ad* 148. Id considerandum in primis, Vocem *Ideæ* satis appositè adhiberi, & quidem multo rectiùs quam quo Ipse utitur, *Conceptus*, cùm Idea, de quâ Philolophi agunt, cuilibet menti clare & distincte cognita est: Qui enim dicit se Ideam

De

Dei V. G. habere, aliud non vult, quam se cogitationem seu apprehensionem aliquam simplicem, id est, perceptionem Dei habere. Unde & quia *quod videtur, apprehendi rectiùs, quàm comprehendi dicitur*, Uti Viri Doctissimi monent, ideò Visionem Dei Mentalem sive Intellectualem, quam habemus in hâc Vita, potiùs à Visu apprehendente, *Ideam Dei*, quàm à tangente & comprehendente prolem utero, *Conceptum Dei*, à nobis appellandam existimavimus. Neque verò desunt Viri Eruditissimi, qui Paulinum illud τὸ γνωστὸν τῆ θεῦ, *Ideam Dei*, rectè exponi posse affirmant. Quin & dum Rem ipsam, *Ideæ* nomine Intellectam, , eo modo quo accipiunt Cartesiani, accipimus, nec excusatio quæratur in quorundam Homonymia, qui Eam ad Imagines rerum Materialium, quæ in Phantasia formantur, restringunt, nemo negare potest *Ideas*, & re & nomine apud omnes, Philosophos præcipuè Solidos, admitti debere. Verum de his postea erit dicendi locus.

XXXV. Ut Sensus Fallaces dicuntur.

Quin in causâ de *Sensuum* fallacia multis me onerat. *pag.* 149, *ad* 172. Verum quando Sensus fallaces, & Erroribus obnoxii dicuntur; Non ita id accipiendum est, quasi in ipso Motu, vel Organi Corporei Affectione Error adsit, cùm id Naturali quâdam necessitate perficiatur; sed quod Humana Mens, quæ Corpori intimè conjuncta est, ex tali Affectione, tanquam ex occasione, rem perversè apprehendit & judicat. Cum autem illa Judicii Præcipitantia & Inconsideran-tia, Non Menti, sed Sensibus passim tribuatur,

Sensus imponere nobis dicuntur, quoniam Judicia nostra illas perceptiones sequuntur, atque ad Sensus modo, quo supra *Sect.* 32. dixi, referuntur. Prout fusiùs etiam in *Institutione* meâ ostenditur, atque etiam apud Cartesianos Alios quos si inspicere dignatus esset Homo Adversus, abundè certè sensisset quàm frustra sunt, quæ ab Ipso in hoc Argumento, uti in alio pæne omni, ineptissimè effutiuntur.

XXXVI. Quid de Atheis & Paganis in Causa Ideārum sentiendum

Quin dum asseram *Scientiam* nullam veram dari, sine præcognitione Dei, "Me *Atheis*, si non *Paganis* iniquiorem vult Ille, *pag.* 173, *&c.* & 183. *&c.* & 187. Verùm quantum ad Scientiam Athei, facile est, ut inquit *Cartesius*, demonstrare illam non esse immutabilem, & certam, nam quo minùs potentem Originis suæ Authorem assignabit, tanto majorem habebit dubitandi occasionem, an fortè tam imperfectæ sit Naturæ, Ut fallatur etiam in iis, quæ sibi quam evidentissima apparebunt, illoque dubio Liberari nunquam poterit, nisi à vero, & fallere nescio Deo se creatum esse priùs cognoscat. Neque verò in causâ Paganorum aliquid aut S. Literis, aut Patribus contrarium dixi, cum *Sapientiores* licet res imperfectas pro summo Deo nunquam habuerint, verissimum nihilominus sit illud *Omnes Deos Gentium esse Dæmonia.* Psalm. 95. Neque ipsum Authorem nostrum fugit B. *Paulum* dixisse Rom. 1. 21. quod cum Ethnici *Deum cognovissent*, tamen non sicut *Deum glorificaverunt.* Quibus verbis clarum est, innatam, quæ in omnibus est De

Dei Ideam, non impedire quin *Gentes* aliquæ non ſint ad veri Dei Cognitionem converſæ.

Contendit autem Ille, "Me negare Animam eſſe *Tabulam Raſam*, & tamen meæ ipſius Doctrinæ oblitum, eandem cum *Ariſtotelicis* ſententiam, inſcium tueri, dum pono Animam Facultatem habere illas, datâ occaſione eliciendi. *pag.* 192. Verum ſibi in mentem reducere debuiſſet, Mentem omnem, etiam dum in utero Materno concluditur fœtus, ſemper cogitare, quemadmodum Corpus omne ſemper eſt extenſum. Quippe Res Vivens ſemper ſuam habet vitam, alias Mortua aliquando eſſet dicenda, ac proinde non tam ad Opus Otioſa excitari deberet, quam ad vitam revocari actura: Atqui Mens omnis, eſt res vivens, non ſolum in quantum exiſtere perſeverat, alioquin & Corpus etiam ſimiliter vivere diceretur; ſed quatenus modo quodam vitali, qualis Corpori non competit, afficitur. Modus autem ille Vitalis, aliud eſſe nequit, quam ipſa mentis uſque cogitantis *Cogitatio*: Ergo mens noſtra utpote Vivens, eſt etiam in utero Materno incluſa ſemper cogitans. Mens igitur noſtra, quamvis *Potentiam* habeat varias ac diverſas eliciendi Operationes, nunquam omni ſpecie intelligibili caret, ſed aliqua ſemper à primâ etiam Ejus origine, cognitione imbuitur; ac proinde non eſt Tabula Raſa, ſive charta pura, Ideis omnibus vacua, ut exiſtimavit *Ariſtoteles*. Præterea, cum Senſus ex Unione Animæ & Corporis oriantur, debuit

XXXVII Humana Anima non eſt Tabula Raſa.

igitur Anima quamprimùm Corpori conjuncta fuit, aliquid ſentire.

XXXVIII. Nihil eſt quod non pendeat a Divina voluntate.

Verum cum ſæpius ipſam *Veritatis* Rationem, nullibi niſi *in* ſuâ *Terminorum Connexione*, quaſi in Rebus ipſis, non in Dei Beneplacito fundaretur, inueniri poſſe doceat, ægréque ferat, ſi ad Divinam Voluntatem Dei confugiamus, perpendat velim quam voluntatem Cauſam eſſe omnis veri & Boni, omníſque realitatis optimè obſervavit Philoſophus *Reſp. Sext. Sect. 6.* Repugnat, inquit, Dei voluntatem non fuiſſe ab æterno indifferentem ad omnia, quæ facta ſunt, aut unquam fient, quia nullum Bonum, vel verum, nullumue credendum, vel faciendum, vel omittendum fingi poteſt, cujus Idea in Intellectu Divino priùs fuerit, quam ejus Voluntas ſe determinavit ad efficiendum ut id tale eſſet: Neque hic loquor de prioritate temporis, ſed ne quidem priùs fuit ordine, vel Natura, vel Ratione ratiocinatâ, ut vocant, ita ſcilicet ut iſta Boni Idea impulerit Deum ad Unum potiùs quàm ad aliud eligendum. Nempe, exempli cauſa, non ideo voluit Mundum creare in tempore, quia vidit melius ſic fore, quam ſi creaſſet ab æterno: Nec voluit tres Angulos Trianguli æquales eſſe duobus rectis, quia cognovit aliter fieri non poſſe, *&c.* Sed contra, quia voluit Mundum creare in tempore, ideo ſic melius eſt, quam ſi creatus fuiſſet ab æterno: Et quia voluit tres Angulos Trianguli neceſſario æquales eſſe duobus rectis, idcircò jam hoc verum eſt, & fieri aliter non poteſt, atque ita de reliquis. His addamus ea quæ habet in Epiſtolâ.

75.

75. Quantum, inquit, ad veritates æternas, dico iterum, Illas esse tantum veras, aut possibiles, quia Deus illas veras, aut possibiles cognoscit; non autem contra, veras à Deo cognosci, quasi independenter ab illo sint veræ. Et si Homines rectè intelligerent sensum suorum Verborum, non possent unquam dicere absque Blasphemiâ, quod Veritas unicujusque Rei præcedat Cognitionem, quam Deus de ea habet: Nam in Deo idem est velle & cognoscere. Ita ex hoc ipso, quod aliquid velit, ideo cognoscit & ideò tantum talis Res est vera.

XXXIX. Syllabus Errorum Ipsi J. S. Lapis Lydius sit, aut Cos Gyratilis.

Post Philosophiam Cartesianam cum Authore suo vindicatam, nunc ad Syllabum deveniamus Errorum, qui quidem hac in causa, Lydius sit Veritatis Lapis Genuinus, aut si Authori huic nostro terribili magis placeat, *Cos* illa *Gyratilis*, cui si Nasus ejus admoveatur, sentiet illico *J. S.* (ut verbis ipsius, *Præf. pag.* 7. utar) qui Vir sit. Neque vero id non dici debuit. Quem enim *Nasutum*, *pag.* 31. Uti &, *Hiatu magno & Naso adunco*, *pag.* 38. Elegantiùs depinxit, non ita Joci patientem oportet, quin Ipsi redarguere, Ejusque Ingenii Levitatem deridiculo habere liceat.. Quem ob notatam notulam, seu *Asteriscum*, Provocationis & Furoris signum sæpius, *pag.* 30. 31, 71, 72. pro Ingenio suo irridet; Quemque etiam cum Patrono, Viro Nobilissimo, Clarissimo, Doctissimóque, ob Vocem simplicem, *Lepore*, in Causa Cartesiana rectissimè Usurpatam, sæpius itidem, *pag.* 10, 20, 210, & 259. effusè petulans

ſannis & ſcommatibus inſulſis petiit; Quidni & Ipſi etiam Eum, Authorem terribilem, Ridiculum certe, Salibus ac Riſu excipere juſtum ſit. Quid enim? Ecquis mortalium, (quæ ſunt Illius Verba, *pag.* 13, 14.) non *contemnet* hujus Stultitiam? Ecquis temperabit à Riſu, quod Media ad præſtitutum ſibi finem adeò inepta ac prorſus ridicula elegerit? Quid impedit, cur non deceat Veritatis Defenſorem *ridere* cum Adverſarius ſuus *Ridicula* profert? Nunquámne legiſti *Tertullianum* illud adverſus *Valent:* cap. 6. *Multa ſunt ſic digna revinci ne gravitate adorentur. Congruit & veritati ridere, quia Læta; de æmulis ſuis ludere, quia ſecura eſt.--- Ubicunque Riſus dignus, officium eſt.* Sic Ille, Quanquam nec putemus ipſum *Tertullianum* legiſſe, ſed *Montaltium*, qui Epiſtola ſua undecima ad RR. PP. Jeſuitas, locum integrum exhibuit, quem vero ob verba forte ab Ipſo minus intellecta, mancum dedit Author noſter Terribilis, ne non & Ipſum dignum cenſeamus, qui ob ſtupendam ſuam, quoad Antiquos Eccleſiæ Scriptores, non minus quam Philoſophos Carteſianos, quos Ignotos damnavit, *Inſcitiam*, derideatur.

XL. Ipſius J.S. Arrogantia non aliàs audita.

Quod Caput autem eſt, nunc videamus, *Providentiam*, ſcilicet, *Divinam, ex Aliis Omnibus Ipſum J. S. ad Rationem Dominio ſuo reſtituendam ſelegiſſe.* Præf. Sect. 26. Idque tribus ex locis, *Præf. Meth.* p. 27. *Præf. Sol. Phil.* Sect. 8. Et *Sol. Phil. Ep. Ded.* p. 8. citandum. Quid ad hæc Ille? "Satis, inquit, expoſui in Præfationibus meis

meis me *expectare* & *prævidere* Faſtum hoc nomine mihi irrogandum ; imò oſtendi perutilem, immò neceſſarium eſſe confidentem illum diſſerendi modum, modò Veritati conſulere velim. Quæ tamen tu, pro candore tuo, celas ac ſupprimis. *pag.* 8. Immò celanda eſſe etiamnum oportuit, modò Authori terribili, Ipſi J. S. Viſum fuiſſet, quæ ſine horrore legi non poſſunt. Quis enim, quod priùs tacui, à Luciferi lapſu ſuperbiùs unquam de Seipſo ſenſerit, quam *Suffennus* iſte, qui mihi id vitio vertit, quod Arrogantiam ſuam non alias unquam auditam, intolerabilem certè ac nequiſſimam, non ſatis expoſuerim.

XLI. Dæmon, ut ipſi videtur, potens.

Secundus Error eſt, *Illum qui Deum Cogitat, non Dei Ideam, ſed Ipſum Deum reipſa in Mente tenere, Immò Deum Ipſum fieri.* Præf. Sect. 33. Id quod abunde ſatis conſtat. Nam ſi reiiciendæ ſint Ideæ omnes, idque Unicum habendum Scientiæ omnis Principium, *Res omnes cognitas, in Mente exiſtere,* Immò *Mentem ipſam Res ipſas, quas cogitat, eſſe* ; Id quod quindecim Argumentationibus animoſiùs contendit Ille, *Sol. Phil. p.* 29, *ad* 37. vel inde certò Clarum eſſe oportuit, *Deum* ipſum, in *Ejus,* qui illum cogitat, *Mente* reipsà teneri ; Immò Illum, *Deum* ipſum eſſe: Neque verò Errorem iſtum retractat Ille ; Immò hac de re agens, "Ego, inquit, ad Doctiſſimos Viros applicui ; et, quò aliquid ejuſmodi Judicibus dignum afferrem, quam plurima Argumenta adduxi, quorum non pauca eſſe Veras Demonſtrationes, contra te

&

& Carteſianos tuos ſuſtinere paratus ſum. *pag.* 42. Tum etiam vehementer conqueſtus eſt quod "Compendioſiori Methodo Uſus, quas *laboriosâ temporis jacturâ* compilaverat, rationes non repeterem, ſed id fecerim ut ſimul ac dixerim, proh mirum! *quinque verborum* quorundam virtute quaſi magicâ, Diſſilirent ſuâpte ſponte *Termini*, Connexio eorum ſolveretur, & Demonſtrationes ejus abſque *laborioſâ* certè *temporis jacturâ*, confutarentur. *ibid.* Verum *Quinarius* certe verborum iſte *Numerus*, utcunque hic ſicut alibi, in Cauſa Porphyrii *Sect.* 42. Ipſi moleſtior fuerit, non ita tamen Impotens, immò Sacratior eſt, quam ut petulantis alicujus Ingenii gratia deridiculo habeatur. Quin nec expectare potuit Ille, ut Umbras ſuas omnes proſequerer, nec ut Umbram quidem aliquam ullam, Canis inſtar Æſopici, ſolidiore relicto cibo, captarem, ſi non Errorem hunc ſuum, tam potentem eſſe Dæmonem vanus exiſtimaverit, ut non niſi Precibus & Jejuniis amanderetur.

XLII. Deo Opt Max. Angelos Animaſque omnes mutandi Poteſtas ſarta tecta reſervatur.

Tertius Error eſt, *Infinite magis, poſt Primum Inſtans, Impoſſibile eſſe Angelum, Conſequenter & Animam Separatam, à Deo, quam à Corpore, aut à Se, aut ab Alio ullo Spiritu mutari.* Præf. *Sect.* 39. Quid jam Ille? "Paragraphus tuus 39, totus Invidioſus eſt. Demonſtraveram, in *Methodo* meâ. *pag.* 307. Angelum, non poſſe mutari poſt Primum Inſtantem, [lego: Inſtans,] ſed deinceps prorſus Immutabilem Manſurum; in aliis etiam locis idem probavi. Quid tu? Demonſtrationes meas celas, *Concluſionem* (ut Logicæ tuæ ſolenne eſt) negas

negas; at nec ratione ſolidâ oppugnas, ſed raptim mordes, & ad aliam rem fugis: Et, quâ es confidentiâ, te Lectoribus tuis affatim ſatisfeciſſe præſumis. *pag.* 56. Immò *Rationem* ſeu Argumentationem ſuam omnem, & Angelorum Lapſui repugnare; & Rationi ipſi adverſari; & in ſe itidem futilem, ac temerariam, ac periculoſam eſſe, nec bono alicui Uſui inſervire poſſe ſatis oſtendi. Id quod mox etiam ex eo patebit amplius, quod Rationibus meis ſatisfacere fruſtrà laborat. "En tibi unam ex Demonſtrationibus illis; cui ſi tu, Carteſianis tuis adjutus, reſpondere valeas, non dico cauſam quin Lauream reportaturus ſis. *ibid.* Non *Vatem* certè ſolùm, ſed & Philoſophum Laureatum Se eſſe ſomniat *Suffenus* iſte, Inquiſitoréſque hoc eum honore ſpoliaturos. Videamus autem Demonſtrationem, quam jactat, inſolubilem: "Ens (Creatum ſcilicet) dividitur in *Diviſibile* & *Indiviſibile*; ergo *Species* Entis, per has Differentias Contradictorias conſtitutæ, in ſola Generica ratione *Entis conveniunt*, ſeu, in hoc quod *poſſint eſſe*; in aliis omnibus *diſcrepant*; idque *Contradictoriè*. Cum itaque de *unâ* Entis *Specie*, (nempe, Corpore) inter alia verè ac literaliter affirmare cogamur quòd ſit Quantitativum, Mobile, ac proinde habeat *partem poſt partem, & non omnes partes ſimul*, hoc eſt, quòd ſit *Succeſſivum* in ſuis operationibus; de *Alterâ* proinde Specie, viz. *Spiritu*, affirmare cogemur quòd in operationibus ſuis *Simultaneus* ſeu *Non-ſucceſſivus* ſit. Quam Demonſtrationem eſſe concluſivam,

cluſivam, & à *Teipſo* tuíſve inſolubilem ſuſtinere paratus ſum. *ibid.* Non hæc quidem quæ ab ipſo Demonſtratio dicitur, Una eſt ex prius allatis ſuis Argumentis, ſed nunc primum ab illo, ne dicam alio, producta. Neque vero Argumentationem illam ſuam priorem à Dei Immutabilitate ductam hîc repetere auſus eſt. Argumento certè ſatis claro, Ipſum Lauream, quam à Demonſtratione ſua priori aſſequi non potuerit, à Nova hac Demonſtratione expectare. Quæ autem ejus Vis formidanda ac invincibilis? Quò tendit Garrulitas ſua omnis? Parum ſiquidem eſt quod dicit *Corpus & Spiritum* Generica ratione *Entis* in hoc ſolùm convenire, quod *poſſint eſſe*. Quaſi verò Eſſentia Entis omnis Finiti, tam creati quam creandi, non ſit quid Poſitivum, ſed nihil aliud quam *Potentia eſſendi*, ſeu, id quo *poſſit eſſe*. De *Corpore* & *Spiritu*, rebus finitis actu exiſtentibus nunc Sermo inſtituitur: Ex quibus duobus Verboſitas illa omnis hoc ſolum vult, *Corpus* partes habere, *Spiritum* verò non partes habere omninò; proindéque *Corpus* in Operationibus ſuis ſucceſſivum eſſe, *Spiritum* autem in Operatiónibus ſuis non ſucceſſivum, ſed ſimultaneum eſſe; proindéque (quo tamen defuit Demonſtrator) ut *Corpus* mutabile, ita & *Spiritum* immutabilem eſſe. Cui autem facilè reponi poteſt, Potentiam quam Spiritum finitum, natura ſua à Deo ipſi concredita, habere concedamus, quædam uno intuitu videndi; non neceſſariò inferre actualem ac ſimultaneam Rerum omnium Notitiam.

Quin

Quin & *Corpus* ipſum quod partes habet, quantum in ſe eſt, iners, torpidum, ac immotum ſemper fuiſſet, niſi à Deo primùm moveretur, ſingulíſque momentis etiam nunc Motum omnem, quem habet, à Deo ipſo, cui ſoli conſervatio ejus omnis debetur, ſecundum Leges ab Ipſo ſtabilitas haberet. Quo quidem modo *Spiritus* finitus, res finitè cogitans, Cogitationem omnem ſuam, à Deo, Eſſentiæ omnis creatæ authore, habuit, ſingulóſque Cogitandi, quos ſingulis momentis habet Modos, à Deo ipſo, Creatore ac Conſervatore unico, ſecundùm Leges ab Ipſo, ut dixi ſtabilitas, continuò habet. Quò fit, uti *Rem Corpoream*, ſive plus, ſive minus moveatur, Naturam tamen ſuam, ſeu Eſſentiam non perdere, ſed retinere conſtat; ita *Rem finitè Cogitantem*, ſive plus, ſive minus, ſive hoc, ſive illo modo cogitet, hoc eſt, intelligat ac velit, Intellectionem ſcilicet ac Volitionem ſuam exerat, non Naturam ſeu Eſſentiam ſuam amittere, ſed continuò conſervare certum eſt. Qua ſimplice Solutione Demonſtrationis Vis omnis Hereulea, ut olim *Sampſonis*, diſſectis ſolùm Crinibus, Multo ſuo cum Dedecore concidat, Deóquè, Opt. Max. non Corpora ſolùm, ſed & Angelos, Animáſque omnes pro libitu ſuo mutandi Poteſtas, renitente Scriptore terribili, ſarta tecta conſervatur.

XLIII. Cognitio omnis Angelorum non eſt inſtantanea.

De Cognitione Angelica non opus eſt, ut hîc múltis diſſeram; Nam etſi Angeli plura & accuratius, clariúſque quam Homines cognoſcant, cum tamen finiti ſint, nihil obſtat

ſtat quominus Diſcurſu utantur, & alia ex aliis, ubi opus eſt, deducant, licet Diſcurſu minus laborioſo. Probabile enim non eſt, Angelos ſimplici duntaxat intuitu, non perfecto Judicio, aut Ratiocinio cuncta quæ percipiunt, percipere: Neque apparet Ratio ulla, cur non Notiones rerum inter ſe connectant, aut ſeparent. Quis credat *Angelos* nihil novi percipere, quod non à principio intellexerint? Dei enim ſolius eſt, uno Mentis actu omnia ſimul cognoſcere. Sed & ſecundùm Theologos, Angeli ſibi invicem colloquuntur. Id quod *Michaelis* Archangeli cum Diabolo diſputantis Altercatio de *Moſis* Corpore, *Jud.* 9. ſatis docet. Nec quidem dubitari ultra poteſt, cùm Angelorum quorundam, ſtantibus Aliis, Lapſus, ſatis (uti prius aſſertum) evincit, quod Hi non ita bene Rerum rationes conſideraverint, ac qui Stationes ſuas primas non deſeruerunt.

XXLIV. Angelorum Lapſus ex S. Literis ut & ex Ratione ac Senſu ſtabilitur.

Quin ne Rationes meas, quas modò nullas, aut non ſolidas omninò fuiſſe agnovit, jam penitus celet, hæc Verba mox addit: "Aſſeris Angelos aliquando *Stetiſſe*. Vocularum es venator, mi Amice, ſani ſenſus indigus. Quid per vocem illam [*ſtetiſſe*] intelligis? Num [*fuiſſe in Cœlo*?] Vide, qualis Philoſophus & Theologus ſis! Si in Cœlo erant, fruebantur Viſione Beatifica, Beati erant, *Satiati* erant; quare, non poterant quicquam *amplius* deſiderare; nec proinde *peccare* aut *cadere*, magis quam Beati Angeli qui *jam* in Cœlo ſunt, Deóque perfruuntur. *pag.* 57. Quin ſanam quidem

quidem ego putabam Verborum formam eſſe, quæ in ſacris Literis reperitur. Neque vero video quin ex B. *Judæ* Apoſtoli Epiſtola Catholica, ſiquidem eam agnoſcat, clarum Illi ſit Angelos eſſe, qui non *ſervaverunt* ſuum Principatum, ſed *dereliquerunt* ſuum Domicilium, in Judicium magni Dei, vinculis æternis ſub Caligine reſervati. V. 6. Vnde uſitatius nihil eſt apud Theologos, quam de Angelorum *Lapſu* diſſerere, Eúmque agnoſcere; Sed & ex ipſa *Ratione* ac *Senſu* communi, ne Philoſophis, aut Grammaticis, aut aliis ullis, non inſanis, ignotum ſit, abunde etiam conſtet, quod qui *Lapſi* ſunt, prius *ſteterint*; adeo ut Angelos illos *ſtetiſſe*, ſiquis negaverit, oportet ut non modò hanc *Sciendi Methodum* ſuam, ſed & quam expectamus *Metaphyſicam*, *Theologiámque*, addam & *Rationem* humanam, modò Humanam, Novam, Miſſa veteri omni vuigari, adeat ſtudeátque. Neque vero video quin in vera ac antiqua Theologia Imperitum ſe prorſus oſtendat, dum an in *Cœlo* fuerint, quæſivit; cùm Dominus noſter, qui Veritas ipſa eſt, apertè dixerit, in Patris ſui Domo, Cœleſti certe, Manſiones varias eſſe; Et Beatus *Judas* expreſſiſſimè etiam docuerit, loco ſupra citato, Angelos lapſos uti Principatum, ita & *Domicilium ſuum*, ipſis ſcilicet proprium, habuiſſe. Quo ſatis pateat non neceſſe fuiſſe ut in Domicilio illo ſuo, *Viſione Beatifica* fruerentur: Neque vero certo conſtat Angelos ipſos ſtantes ſic in Domicilio ſuo fixos fuiſſe, quin quia non ignaviter

dere-

dereliquerint Domicilium ſuum, ſed fideliter ſervaverint, ex præviſa *D. N. J. C.* Gratia, ad Superiores Stationes, promoverentur, & ad Viſionem Beatificam, qua nunc donantur, plenius admiſſi fuerint: tantum abeſt, ut Angeli, quos lapſos dicimus, non in Domicilio ſuo potuerint *amplius* deſiderare, nec proinde magis *peccare*, aut *cadere* (quod tamen Ille aſſerit) quam Beati Angeli qui jam in Cœlo ſunt, Deóque perfruuntur. Neque vero video denique, quid his reponat Ille, niſi forte *Verſionem*, qua uſus ſum, vulgarem, non ſatis Authenticam exiſtimet, ſed velit ut Ipſe Correctiorem edat; quo ſentiat Orbis Literatus, Ipſum non Rem habere velle cum iis, qui ex media illa ſua Lectorum, quam alibi memorat, Claſſe ſunt, quibus forte Græcè noſſe Suſpectum erat, Hebraicè propè Hæreticum.

XLV. Et ab abſurdo & periculoſo Conſequente.

Quin & *abſurdam* omnino, futilem ſcilicet ac temerariam, uti & *Periculoſam* quidem eſſe aſſerui hanc illius Notionem Erroneam, dum *primò*, Deum Angelos in ſtatu Damnationis Creaſſe, quippe quod primo Inſtanti, nulla permiſſa eis Conſideratione Damnati ſunt, innuit; Immò *Secundò*, Deum ipſum mutando Creaturas, mutari etiam ſupponit. Quibus Objectionibus utinam hac data occaſione ſatisfecerit, Literatóque Orbi exhibuerit, nec effugerit dicendo ſolum, ſe eiſdem reſpondiſſe in *Methodo* ſua, vulgari Lingua Scripta, in qua quidem ex his Uni, non binis reſpondit, ſed ità ignaviter, ut Reſponſiones ſuas litera-

literato Orbi, ne forte Exteris nimis notus sit, exponere non auderet.

Verùm aliud est, quo me vocat Ille: "Tu vis ad Animas Separatas dicta mea traducere. Ubi invenis istud in Libris meis? Consequentia ista tua est, non mea. *pag.* 57. Itáne verò! An illam suam *Terminorum Connexionem* jam reformidat, aut reiicit? *Deum, Supremum Numen, Angelum* mutare non posse ideò concludit, quia *impossibile sit, ut ipse Deus mutationem ullam in se reciperet, qua capax fiat tale Effectum producendi.* Meth. p. 314, 315. Verùm si *Dei* ipsius *Immutabilitas* impedit quominus possit Angelum mutare, an aliter concludendum est, quàm quòd ob Eandem Rationem, *Animam Separatam* mutare nequeat? Non de *Volitione* Dei, sed de Ipsius *Potentia* hîc disputatur. Sed & alii Argumentationi innititur illa Positio, quam & Demonstrationem vocat! Quippe, ut verbo dicam: "Angelus post primum Instans, ideo mutari non possit, quod non sit Quantitativus, sed *purus Spiritus.* Meth. p. 308, 309. Unde Consequentia certè clara est, *Animam Separatam* post primum Instans *non mutari posse*, nisi fortean Illi in animo sit dicere Animam Separatam non esse purum Spiritum, sed quid Corporeum. Quod quidem asserendum est, si non sit Res à Corpore Distincta, uti alibi affirmat, sed hîc non ausus est asserere, qui quando sibi placuerit, omnia ausus est. Effugiet certè *Terminorum Connexio* omnis, omnisque Ejus SyllogismusDemonstrativus, si hîc deficiat. Quanquam ut quod res sit

XLV. Summo ipsi Numini Potestatem inesse mutandi Animas specitim ostenditur.

dicam, neque enim taceri patitur, non fuit quidem hæc illa Ejus Conſequentia, ſed *Poſitio* ipſiſſima, ardentiſſimo Amicorum ſuaſu mutata, Voce *Angelus*, pro *Anima* ſolùm inſerta. Sed Rationes ipſæ, quales quales ſunt, à *Dei* Immutabilitate, *Spiritúſque* Spiritualitate, ſeu Natura Spirituali ductæ manent, nullis unquam aut Amicorum precibus, aut Adverſariorum Viribus, ſi per Ipſum ſteterint, amovendæ. Pergit autem: "At ſubolet mihi aſtutia tua. Paras Defenſionem te dignam: Nempe, ut cum te Ratione proſtratum videris, apud Inquiſitionem forſan, amicorum tuorum ope, Librum meum deferas, ut *damnetur*; Et tunc *Carteſium* tuum ſtrenuè à te Vindicatum, & Adverſarium tuum egregiè confutatum triumphaturus es *ibid.* Vult igitur, jactátque Rationem hac in cauſa Ipſi ſtare, ut non amplius dubitemus, Illum ſive directè, ſive vi conſequentiæ, *Animam Separatam* poſt primum Inſtans, *mutari non poſſe* exiſtimare. De Inquiſitione ſolùm ſolicitus eſt. Crediderim certè Ego facilè, modò Malbranchii *Inveſtigationem Veritatis* Anglicè vertiſſet, hunc illum eſſe, de quo lepida illa fuerit Hiſtoriola, quòd adeo Meticuloſus & phreneticus evaſerit ex Lectione Malbranchii, ut omnia metueret, ubi nulla omninò Metus, niſi in propria conſcientia forte, cauſa fuit. Cætera prius, *Sect.* 16. habeantur.

XLVI. Animarum ſeparatarum Immutabilitas expenditur.

Quin illud ut magis invidioſum notat Ille, quòd Notionem illam ſuam de Animæ Separatæ Immutabilitate abſoluta dixerim (non ut Ille habet, ſed his verbis) "Non

alii

alii magis Usui inservire, quam ut ostendat, non deesse, qui ægrè fert, tum ut piè sitientes *Animæ* spe ulla Liberationis ante Supremum Diem gauderent, tum ut *Potentia Divina* ad id extenderetur: Cùm tamen Confidentem oportet esse, si dixerit *Deum* aut adeò *Impotentem*, ut Earum desideriis satisfacere non possit, aut adeò *Inexorabilem*, ut non velit. *pag.* 57, 58. Prius de ægrè ferendo, Taciturnitate sua fatetur. Quoad cætera, me crassè philosophari asserit, tum quod "si *Sapientiæ* Divinæ, juxta ipsarum rerum Naturas Mundum administranti, id non convenit; non potest Deus non esse *Summè Sapiens*, nec proinde id facere. *pag.* 58. tum etiam "quòd apud Philosophos & Theologos idem sonet [*Deus non potest hoc facere*] ac dicere quod [*Contradictionem involvit*] vel [*est oppositum alicui Divini Numinis Attributo.*] Quomodo & Theologi asserunt *Deum non posse mentiri. ibid.* Verùm unde constat Animarum Separatarum *Mutationem* aut *Sapientiæ Divinæ*, aut *Veritati* repugnare, ac *Contradictionem* involvere? Constans quidem sit Opinio, quòd Anima Separata à naturæ suæ mutari non possit. Nec hîc distinendi locus est, Animas aliquas Separatas ante Diem Supremum Mutari. Id autem maximè Culpandum censui, quòd vocat Ille, Impossibile esse Angelum, consequenter & Animam Separatam Mutari à Deo; immò impossibile magis esse à Deo, quam à Corpore, aut alio Mutari posse. Sed tamen in causa, Cor ejus jam deficit, attenditque, "quod Philosophi, cum di-

cùnt Deum *non posse aliquid facere* eò quod naturis rerum repugnat, loquuntur de Potentiâ Dei *Ordinariâ*, juxta quam Communem Mundi cursum administrat; non de *Extraordinaria*, seu Miraculosâ; quod totum discursum jugulat. *ibid.* Verum, non hîc quæritur, quid Philosophi dicant, sed quid Ille dixerit. Neque vero hîc effugiet: Cum hæc Distinctio Locum non habet, ubi *Sapientia* Divina, ac *Veritas*, *Contradictione* reperiatur. Neque vero Potentia Dei *Ordinaria*, ab extraordinaria distinguatur: Cum Deus æquè omnia possit facere, eadémque semper est ejus Potentia, quæ creat & conservat Universa & singula suo ordine & Methodo, sive illud naturaliter, sive miraculosè, hoc est, secundum, sive supra Naturam fecerit. Cum facilè possit concedi, Deum nihil contra Naturam agere, sed multas etiam Operandi Leges habere, quas Humano Intellectui non communicavit, quæ si Humano Intellectui communicatæ essent, æque Naturales essent, quàm cæteræ.

XLVII. Deum Authorem, Motum Rerumque omnium Curam agnoscere debere, ex Ratione ostenditur

Quartus Error est, *Deum ipsum non Motionis, aut Motus Causam esse, Nec Res istas per se Curare, sed Id Opus tanquam Vile & Laboriosum, Ipsoque Indignum, ad Spiritus Inferiores relegare.* Præf. *Sect.* 40. Quid Ille? "Sententiam meam, de Causâ Primi Corporum motûs *Immediatâ*, exagitas & citas verba nonnulla quæ Thesin quidem meam continent; sed Rationes in quas ultimò Veritatem illius resolvo neutiquam exhibes. Eæ autem ducuntur à naturâ *Ca-*

salitatis

salitatis, & ex eo quòd Motus sit *imperfectissimus* omnium Effectus; ac proinde à Perfectissimâ Causâ *immediatè* procedere Eum non convenit. *pag.* 44. Causalitatem igitur ipsam, ac Imperfectionem, Rationes solas esse constat, cur Deus non potuit esse primi Motus Author. Quasi verò Motus Effectus, seu Ens aliquod esset sive Substantiale sive Accidentale (nescio quid) ignobile, Deóque indignissimum! Hæc quidem vult Ille; cùm tamen ex Definitione Cartesiana, quam ille confutare non integrum duxit, Motum Translationem seu Applicationem Corporis successivam, ut & Quietem Ejusdem Absentiam, seu Permanentiam quandam in Statu suo esse ostendi; immo expressissimis Verbis docui Motum non esse rem subsistentem, sed Corporis Modum, uti & distingui debere ab Actione transferente, quæ est Dei Actio, qui solus ut Causa Universalis & Prima, Materiam motam, non prius nisi in Ipsius Idea existentem, è Nihilo produxit, eadémque Actione, qua primò creavit, conservat; sic autem ut Motus ipsius Secunda & Particularis Causa sit Corporum Occursus, quo fit, ut hæc Actio Divina, nunc in his, nunc in illis Corporibus se exerat. Unde Motus non alio certe modo Creationis Objectum, quam quo Corporis alicujus Modus, dum Corpus ipsum, cujus modus est, creatur, reputatur. Nec quidem Motus & Quies in se aliter quam ut Duo Corporum Status habendi sunt, secundùm Leges à Deo primo motore, in rebus mobilibus stabilitas considerandi. Post

pauca addit: "Ais me asserere *Vile opus esse ac Laboriosum*; Et *Dei Essentiam* (quæ est ipsa Existenti-) *minime decere*. Ubi, quæso, mi Amice, legisti usquàm in Libris meis vocem istam [*Laboriosum*] quam tanquam meam citas & distincto charactere pingis? Nusquam. *pag.* 45. Scilicet in integris suis Libris *Anglice* scriptis, non vocem istam Latinam, *Laboriosum*, legimus! Nugatorium hoc est. Vox Anglica est, *Drudgery*, quam certe *Opus vile & laboriosum* denotare, Nemo est Anglorum, qui non novit. Pergit; "Quare itáque mihi, Falsarii more, illam effingis? *ibid.* Quin ex loco citato judicet Lector quis Fallarius habendus est. Tum autem, sibi quærenti respondit: "Nempe, ut videar *Deum adoriri*, & in eum *Impium* [lego: *Impius*] esse; perinde ac si dixissem, Deum Angelis usum esse ad *Levamen laboris & Lassitudinis* quam cæteroqui sensisset, si se solo Motum causâsset. *ibid.* Utinam hîc in Priscianum solum, non itidem in Deum peccasset. Et post pauca: "Hinc me *Epicuri cultorem* esse asseris, mihique persuasum esse *Deum Res Humanas non curare, sed ad Inferiores Spiritus relegare*. *ibid.* Immò cùm apud illum, Vile sit opus & laboriosum, Deique essentiam minime deceat, ut sit Motus, seu Mutationis Causa immediata: (*Meth.* p. 404.) Cumque hac etiam Ratione, Motum ac Mutationem Angelis solis tribuit: (*Meth.* p. 300. alibique sæpius.) Sensus ille Verborum suorum nimis clarus est, frustráque prætendit, Me omnia illa, quæ ad summam Reverentiam Divi-

no

no Numini exhibendam ac conſervandam adducit, ad ignominiam aliquam Ipſi arrogandam transferre; fruſtraque ait, ſe demonſtraſſe vel minimos totius Mundi Effectus à Providentia Divina proficiſci, atque ad Eam, tanquam Cauſam Principalem in omnibus operantem (licèt non Secundam & Immediatam) referendos eſſe. Cum *Epicurei* facile concedant Deum Cauſam omnium eſſe Principalem, modo ipſis datum ſit vile eſſe Opus & Laborioſum, Deíque ipſius Eſſentiam minime decere, ut per ſe, ac immediate Res Mundanas curet. Pergit: "Dare *Exiſtentiam* ſeu *Creare* ſoli Deo ut Cauſæ *immediatæ* tribuendum eſt, quia *Exiſtentia* ei *Eſſentialis* eſt: unde à nullâ Creaturâ ne quidem ut *Inſtrumento* (ut ſomniabant *Ariani* de *Verbo* ſuo) ad mundum creandum uſus ſit. *ibid.* Verum, ſi Corpora omnia à Deo immediate creantur, cùm Motus, non minus quam Figura, quantum corpus ipſum ſpectat, nihil aliud ſit, quam Corporis Moti Modus, ſequitur & Motum primum cum primo ſuo Corpore Moto, à Deo Ortum ſuum habuiſſe. Ne hic dicam, quod mox oſtendam, quàm Ille *Aquam* & *Aerem*, Corpora quorum Eſſentiam Motus ingreditur, à Deo creari affirmat. Pergit: "At *Immutabilitas* eſt etiam Deo *Eſſentialis*; ac proinde, ob eandem rationem, *Motus*, qui, cum ſit *Eſſentialiter Succeſſivus*, eſt perpetua *Mutatio*, à Deo (*eſſentialiter Immutabili*) tanquam à Causâ *Propriâ*, *Proximâ* & *Immediatâ*, procedere non poteſt; aliter quilibet effectus a Causâ, cùjus

natura eſt ipſi contradictoriè Oppoſita, procedere potuit. *pag.* 46. Et poſt pauca: "Verum tu concipis *Motum* eſſe *Rem* quandam quæ, diſtinctè a Materiâ, Creativam Actionem terminet. *ibid.* Iterúmque poſt pauca: "Cum Creare ſit dare *Eſſe*, nonne oportet ut *in inſtanti* peragatur? Si in inſtanti creatur *Motus*, tunc in inſtanti *eſt*; cum *Eſſe* ſit Creationis Effectus. Ponere autem Motum *Eſſe in inſtanti*, ponit id quod eſt *eſſentialiter Succeſſivum*, eſſe *Inſtantaneum*; Et Indiviſibile quod *nullas* partes habere poteſt, correſpondere ſeu æquari *Diviſibili* quod *partes extra partes* habet; quod omnino repugnat, & pluſquam uno reſpectu Contradictionem involvit. *ibid.* Quin Principium illud Intellectus ſui Unicum, cui omnis hic Error innititur, eſt quod ſomniat Motum à Carteſianis ſic concipi ac ſi Res quædam eſſet, quæ diſtinctè à Materia ſit Creationis Objectum. Quod cum falſum eſſe ſupra oſtenderim, in ſpumam abit quicquid hîc Ore non ſatis fido effutiit. Addit autem: "At quid tibi in mentem venit, ut aſſeras me ubique *confundere Motum cum Mutatione*? Num, ſi quis dicat *Homo eſt Animal*, idcircò *confundit* rationem *Hominis* cum ratione *Animalis*. Scias itaque quod *Mutatio* dividitur in *Inſtantaneam* & *Succeſſivam*, tanquam in ſpecies ſuas; *Succeſſiva* autem, *Motus* eſt. *ibid.* Non dixi *ubique*, ſed in Methodo p. 301. & 404. Locis à me Citatis, in quibus certè, ſi diſtinguat Voces iſtas, *Motum* & *Mutationem*, ita ut non utraque ibi *Succeſſionem* denotet, exorandus eſt,

est, ut ostendat quomodo inde ab Ipso concludatur Deum non posse esse Motus seu Mutationis Causam immediatam. Sed & dicat, obsecro, quo Argumento evincet, Mutationem corpoream esse Genus, & Motum ejus Speciem quandam, cum Creatio instantanea, de qua ipse agit, vel ipso desiniente, non est Mutatio, quæ subjecti communis remanentiam requirit. *Append. Meth. p.* 376, *&* 378. Neque vero ulla Mutatio Corporea datur, quæ non sit Localis. Quapropter nec ignorare illum velim, quod apud Cartesianos Unicus tantum Motus, scilicet localis est, reliquæ autem, quæ recenseri solent Species, ut Generatio, Corruptio, Augmentatio, Diminutio, Alteratio, non tam Motus sunt, quam Mutationes per Motum factæ. Unde & Mutationem Corpoream, non Motus Genus, sed ejusdem Effectum esse constat. Pertædet autem me rem habere cum Adversario, qui nihil nisi Genus & Species, cæteráque suas tricas Logicas crepat. Pudeat & Ipsum Octogenarium pæne in eisdem insenescere. Pudeat autem maxime, si ejusmodi Nugis Errorem hac in Causa gravissimum, se propagare posse speret.

Postea autem, excursione ad res alias satis longa interposita, ad hanc Causam redit: "Interpretatiunculas tuas S. Scripturæ satis detortas, quibus p. 33. abundas, Missas facio, donec te idoneum esse ejusdem Interpretem probes. Nunquam ostendes, licet id prætendas, Me sententiam ullam *meam* hujusmodi Argumentis *fundare*; sed *ex naturâ* XLIX. Et ex S. Literis.

turâ rei de quâ agitur, Rationes meas depromere : licet Apoſtoli *Jacobi* verbis uſus ſim, eò quod nullas alias [lego : nulla alia] uſquam reperirim, [lego : repererim,] quæ oppoſitionem Divinæ Naturæ adMutabilitatem omnem (unde ſequitur Motum eſſe Effectum eidem diſſimillimum nec proinde *immediatè* à Deo produci) datâ occaſione citaverim. *pag.* 59. Obſcurum eſt. Præter Emendationes Notatas, deſideratur forte verbum [oſtendant] quod uti à Nominativo plurali [quæ] regatur, ita & [Oppoſitionem] regat. Neque tamen ſic fiet, quin verbum [citaverim] Accuſativum etiam ſuum expectet. Senſus ſit ; Ipſum non ſolere rem habere cum S. Scriptura, nec ulla alia verba ibi reperire potuiſſe, præter illa Apoſtoli *Jacobi*, Apud Deum *non eſt tranſmutatio, nec viciſſitudinis adumbratio*, quæ Motum, utpote *Ens* ipſi *mutabile*, à Deo, ſcilicet *Ente Immutabili*, provenire non poſſe oſtendant. Quo certe Modo, Se in S. Literis Verſatiſſimum, Earundémque Intepretem idóneum maximè, probet. Pergit : "Multa futilia, hoc in loco, hic illic ſpargis. Nempe, *Deum omnia feciſſe ; omnibus omnia dare*, quod *in Ipſo vivimus, movemur, ſumus*. Quam frivola ſunt iſta, dum de *immediato* tantummodò Agente Sermo eſt. *ibid.* Ergo Deus non omnia fecit immediatè, ſed mediante forte Angelo, aut Inſtrumento alio ad mundum creandum Uſus eſt. Ergo Deus non poteſt immediatè per Se aliquid, ne quidem Panem in Carnem, mutare, nec de lapidibus ſuſcitare filios

filios Abrahæ. Ergo Providentia Divina non immediatè ſe in rebus Mundanis exerit, nec eas immediatè Curat; ſed id Opus tanquam vile & laborioſum, Deóque indignum ad Spiritus inferiores relegandum cenſet. Sed & quæ ex S. Geneſi citavi frivola ſunt. Quippe Angelus fuit, qui creavit Cœlum & Terram, qui ferebatur ſuper Aquas, qui Lucem à Tenebris, Aquáſque ab Aquis diviſit; cum tamen ex verbis illis, *Spiritus ferebatur ſuper aquas*, clarè *Albius* conſtare affirmat, *Tria Elementa Terram, Aquam & Aerem creata eſſe à Deo.* Quæ etiam verba Author noſter Anglicè reddidit, tranſcripſitque in Appendicem ſuam de Mutatione formali, p. 405 Quo uno conceſſo, cum Aqua & Aer ſint Corpora fluida, quorum omnes ſemper partes, ſecundùm Carteſium, in Motu ſint, nec contrarium poſſit Ille oſtendere, Clarum itidem eſt, Materiam Corpoream, ejuſque Motum omnem, Deum Authorem agnoſcere debere.

L. Definitiones Motus Carteſianæ vindicantur.

Pergit autem poſt pauca: "Deinde, Definitiones Motus, abſque ulla occaſione affers, à *Carteſio* aliiſque, *rectè* (ſi qua tibi fides) factas; quæ tamen à verâ Logicâ, etiam Sophiſtis notâ, penitus abhorrent, *Genus* ſiquidem in omni Definitione debet eſſe *Latior* & *Communior* [lego: *Latius* & *Communius*] quam ſit *Definitum*: cum tamen [*Tranſlatio*,] & [*Applicatio*,] quæ in iſtis Definitionibus pro Genericâ ratione ponuntur, ſint *Motus quidam*, ſeu quædam *Species* Motus in communi. *pag.* 60. Verum hæc ejus Notatio, ut à Grammatica, ita & à Logica

gica ac Phyſica vera abhorret: cum ex Definitionibus illis ex Carteſio & Rohaulto citatis, videre eſt tum *Tranſlationem* & *Applicationem* Naturam induere Genericam; tum etiam *Motum* non hîc dici *Tranſlationem* ſeu *Applicationem* in Genere, ſed ſpeciatim *Unius partis Materiæ, ſive Unius Corporis ex vicinia Eorum Corporum quæ illud immediatè contingunt, & tanquam quieſcentia ſpectantur, in viciniam aliorum.*

LI. An Angeli ſint Cauſa Motus.

Mox autem addit: "Pergis, & aſſeris *Corporum occurſum eſſe ſecundam & particularem Motûs Cauſam*: At, quare Angeli miniſtrantes non poſſint & debeant eſſe *Cauſæ Secundæ, Immediatæ & Inſtrumentales* Primi Motus, quod ſolùm in quæſtione eſt, licet Deus ſit Prima, Principalis & Remotior, quæ dat illis tum *poſſe*, tum *actu movere*, nullam prorſus rationem affers. *pag.* 60. Quæ hæc Terminorum Connexio? Corporum Occurſus eſt ſecunda & particularis Cauſa, cur Actio Divina, ſeu Vis Motum conſervans, nunc in his, nunc in illis Corporibus ſe exerat: Ergo Angeli miniſtrantes poſſunt & debent eſſe Secundæ, Immediatæ & Inſtrumentales Cauſæ Primi Motus, de quo ſolo Quæſtio hîc inſtituitur. Qui ſcilicet Mundum creatum jam conſervat, etiam cum Miniſterio Angelorum, ſecundùm Leges ab Ipſo ſtabilitas, non potuit, nec debuit Eum primò ſine ope quorundam Ipſi Miniſtrantium creare. Deum certè non Motus Cauſam eſſe, nedum non debuiſſe, nunquam Evincet. Quin quod Angeli, Animæque Separatæ, poſſint etiam non minùs quàm Corporum Occurſus in

Cauſa

Cauſa eſſe, cur Deus vim ſuam nunc in his, nunc in illis Corporibus, ſecundum Leges ab Ipſo ſancitas exerat, non dubitamus; cùm & Ipſis poteſtatem Corpora Aerea ac Ætherea, quibus appareant, formandi concedamus. Quod poſſint quidem non negavit *Carteſius*; ſed quòd debeánt, non facile quis concedat, niſi cui Laborioſum ac vile Opus videtur, ut Deus ſit ejus Cauſa immediata. Id quod certe voce, *debeant*, ſatis aperte hîc docet; immò & prius expreſſiſſimè, quantum vocem Anglicam, *Drudgery*, intelligere eſt, affirmavit.

LII. Deo Poteſtas Annihilandi reſervatur.

Quintus Error eſt, *Deum non magis poſſe Aliquid Annihilare, quam Teſtimonium Falſum atteſtari, aut Alii ulli Imperfectioni Obnoxium eſſe.* Præf. *Sect.* 41, 42. Quid Ille? "Annihilationem quod attinet, tractavi ſatis largè de quæſtione illâ in Scripto quodam; ubi è multis Divini Numinis Attributis, aliiſque argumentis demonſtratur tum eſſe Eam Impoſſibilem, tum fieri non poſſe ut *Deus*, qui eſt ex ſuâ parte Actualitas Infinita, *ſuſpendat* Actionem ſuam Conſervativam: Ubi etiam de *Libertate* Dei ad Creaturas Creandas aut Conſervandas (quam te non intelligere ſatis video) liquidò diſcurritur, & Objectiones ſolvuntur. *pag.* 60, 61. Scriptum illud quod laudat Ille, nondum vidi; ſed à Nonnullis accepi illum in eo Annihilationem abſolutè eſſe impoſſibilem concluſiſſe, nihil autem ſolidi habere, immò verboſas Demonſtrationes ejus omnes imaginarias, ac ſolutiones, paucis à me in articulis dictis, 41, & 42. tolli. Id quod

etiam

etiam ex Reſponſo ſuo terribili, in quo nihil non antea conſideratum, colligendum eſt.

LIII. Authoris terribilis Demonſtrationes Tres priores futiles.

Pergit autem: "Licet fruſtra id præſtabitur Tibi, cui nihil certe intelligere decretum eſt; Lectorum tamen causâ ulteriùs aperiendum eſt Difficultatis hujuſce punctum. Dico itaque, 1. Idem ſonare apud Philoſophos [*Deus non poteſt hoc facere*] ac dicere quod ſit [*Impoſſibile*;] unde cum [*Poſſibile*] ſit proprium *Potentiæ* omnis, etiam Infinitæ, *Objectum*; Nihil exinde ab Omnipotentia Divina detrahetur; magis quam detrahitur à Potentia *Viſivâ* quod non poſſit videre *Subſtantias* rerum vel *Spiritalem* Naturam, quæ *non* ſunt *Objecta* illius Potentiæ, ſed *Inviſibiles*. *pag.* 61. Ab Ipſo ſibi certe decretum eſt, ut nec Ipſe ille magni aliquid in his verbis doceat, nec Ego aliquid omnino non futile in eiſdem cernam. Oſtendendum illi eſt, quod Res aliquas annihilare, non ſit Deo magis poſſibile, quam Viſui res, quæ Inviſibiles ſunt, videre. "2. Philoſophos, cum aliquid eſſe *Poſſibile* vel *Impoſſibile* pronunciant, ad *præſentem* Mundi ſtatum, & Cauſarum Secundarum Ordinem reſpicere. 3. Aliquid proinde ſecundum Mundi Curſum Ordinarium & Naturas Rerum, juxta quæ Deus, Providentiâ ſuâ *Ordinaria*, Mundum regit, eſſe *Contradictorium* & *Impoſſibile*; quod tamen *Deo*, ſecundum Potentiam ipſius *Extraordinariam* ſeu Miraculoſam, qua *Naturas* rerum ſibi *ſubdit*, Poſſibile eſt. v. g. Impoſſibile erat Viſum cæco reſtituere ſputo luto commixto, per Cauſas modo *Ordinario* guberná-

gubernatas; quod tamen Christus, *miraculo-*
sè operans, de facto præstitit. *ibid.* Non
hîc quæritur, uti prius notavi, quid Phi-
losophi pronuntiant, sed quid Ille statuit.
Neque vero quid præsentem Mundi statum,
cursúmque ejus ordinarium spectat; cum
de Res annihilandi Potentia Divina, ubi
nihil ordinarium habetur, Disputamus.
Neque vero si Distinctionem demus, inter
Dei Providentiam Ordinariam, ac Extra-
ordinariam; ideo Distinctionem etiam inter
Dei Potentiam seu Omnipotentiam Ordi-
nariam & Extraordinariam admittamus,
quippe Omnis Dei Potentia Naturas rerum
sibi subdit, nec quid Deo magis aut minus
Possibile habeatur, cum Omnia æque Ipsi
sint possibilia, qui est Omnipotens. Ne-
que vero Cuiquam tam facile sit statuere
quid Deus possit facere Mediis Ordinariis,
seu per Causas modò ordinario gubernatas.
Neque vero patet, quin Christus Miraculo-
sè operans Sputo luto commixto Visum
Cæco restituendo, Materiam Potentiæ suæ
Divinæ susceptibilem receperit, Virtutém-
que in ea Obedientialem, contradicentem
nequaquam, invenerit.

Pergit: "4. Omne illud esse ablolutè & *Omnimodè* Impossibile pronuntiandum, quod Attributis Divinis repugnat. Unde *Pii* & non *Impii* in Deum censendi sunt, qui, hâc ratione adducti, aliquid esse Impossibile asserunt. *pag.* 61. Ergo Authorem nostrum non Impium, sed Pium oportet ut censeamus, qui Scriptis suis Annihilandi Potentiam pluribus Dei Attributis repugnare, adeóque

LIV. Ut & Quarta ac Quinta.

óque abſolute & omnimode Impoſſibilem eſſe aſſeruit: cum tamen non ullis Attributis Divinis eam contradicere, niſi fortean *Mediæ ſuæ Claſſis*, ut habet Præf. Meth. p. 56. *Lectoribus*, hactenus demonſtraverit, nec demonſtraturus eſt unquam: tantum abeſt, ut Pius hac in Cauſa ſit, dum Opinionem non ſatis piam, ſine Retractatione, iterum iterumque inculcat. "5. Tute concedis impoſſibile eſſe id facere per Annihilationem tanquam *Actionem*, dum vim Argumenti mei ex ratione *Actionis* deducti agnoſcis; at multò potiori jure Argumenta illa admittenda ſunt quæ ex Repugnantia ad Divinum aliquod Attributum ducuntur. Unde, vel Solidis rationibus probandum tibi erat quod *nulli* Attributo Dei repugnet Annihilatio, vel concedis totum. *ibid.* Quin ego certe vim nullam in ejus Argumentis agnoſco, ſed Primum, cui, a Non-Potentia faciendi nihil ducto, tum in ſua *Sciendi Methodo*, p. 364. tum in *Solida* ſua *Philoſophia*, p. 184. innixus eſt maxime, Exemplo ſatis illuſtri, quo Neminem Jejunare poſſe, utpote quod Jejunare ſit Nihil edere, ſimiliter demonſtratum eſt, palam expoſui; Iſque ita ſibi Suffenus, ut quod Alii rident, Id eos tanquam quid in ſe excellens admirari exiſtimavit: Quanquam quidem apud ſecundas ſuas Cogitationes, ita id Ipſum puduit, ut tam præclarum ſuum Argumentum denuo repetere, quæ ſua eſt Modeſtia, erubeſceret. Quin & Argumentum ejus Alterum illud, quo ex Dei Attributis contendit Ipſum non poſ-

ſe

se Suspendere Actionem suam Conservandi, falsum etiam pluribus Instantiis ostendi. Neque quidem Opus est, nec à me expectari potest, ut Illum Novis Argumentis petam, cum id solum officii mei impræsentiarum incumbat, ut Veritatem ipsam defendam, & Potentiam Divinam, ab ipso nequiter lacessitam, summa semper cum Reverentia agnoscam.

Pergit: 6. Annihilationem fieri per *Suspensionem* Infinitæ Actualitatis Divinæ, esse contra aliquod Attributum Dei, mihi, ad Principia Metaphysica attendenti, omninò persuasum est. *pag.* 62. Modestus quidem est. Certum scilicet Ipsi prius fuit, Annihilationem esse contra Plurima Dei Attributa, nunc autem contra Aliquod Unum Dei Attributum esse sibi ex Metaphysicis suis persuasum est. Rationem reddit: "Nam Actualitas illa non est Infinita, sed ex parte aliquâ *deficit*, quæ non *actu excercetur* in Effectu illo producendo, quæ [lego: qui] sibi soli proprius est; modo sit capacitas ex parte subjecti, & subjecto illi immediatè applicetur. Cum itaque Creatura æquè capax erat *existendi* in instanti quo annihilata supponitur, ac ante; Et reliqua omnia requisita hic adsint & correspondeant; Et *Exercitium* Potentiæ quando nulli alii Attributo repugnat, ad *Infinitam Actualitatem* pertineat (ut demonstrabile est in Metaphysicis,) omninò dicendum est Infinitam Dei Actualitatem semet, in omni tali circumstantiâ, *exercituram*; hoc est, continuè creabit seu conservabit Creaturam; nec proinde quie- LV. Et Sexta.

quam annihilari poteſt. *ibid.* Error eſt in ſupponendo Creaturam aliquam etiamnum actualiter Annihilatam eſſe, cum de Potentia Annihilandi ſolùm, diſputatur, quam Deum in ſe habere poſſe, etiamſi fortè nihil unquam actu annihilaverit, negari non poteſt, niſi ab Illo, qui vult Deum Nihil jam de novo poſſe facere, ſed Vires ſuas omnes prius exeruiſſe. Quæſo autem, Unde illa Exiſtendi Capacitas, niſi à ſola Dei Voluntate, cui Creaturæ, Earúmque Poſſibilitates omnes, ſeu Capacitates deberi conſtat? Poſito igitur Deum Velle Creaturam aliquam annihilare, Capacitatem illam ſuam omnem exiſtendi tolli, núllámque eſſe manifeſtum eſt. Neque vero poſita aliqua exiſtendi Capacitate, ejus Actualitas unquam fiet, ſi eam non dederit Deus. Neque vero Actualitas Dei infinita, ipſum neceſſariò determinat ad Creaturam aliquam producendam, quam producere non Vult. Eſt quidem Deus ex natura ſua Actualitas infinita: Eſt & ipſa Bonitas ac Sapientia infinita: Neque quidem minùs, immò magis Liber cenſendus eſt, quòd juxta Naturæ ſuæ Inclinationem ac Propenſionem à Seipſo ſemper ad agendum determinatur, Seque ſemper Actione ſua exercet. Verum ſi hîc ſummam Dei Potentiam ſolùm conſideremus, non ulla inde ſequetur Neceſſitas, quin quoad Creaturas ſuas poſſit, ſi velit, hoc vel illo modo agere. Neque quidem ulla aut Bonitas, aut Sapientia, impedit, quominùs Deus habeat ac in ſe retineat ſummam hoc vel illo modo, quoad Creaturas

ſuas

ſuas agendi, aut non agendi, prout ipſe voluerit, Potentiam. Ergo nec hactenus demonſtratum eſt, quod Deo unquam deeſſe poteſt Potentia Creaturas ſuas, quando ipſe voluerit, Annihilandi. Ergo & graviſſimè illum errare, maximèque Culpandum eſſe conſtat, qui Vanis ſuis Rationibus adductus dixerit, Deum non poſſe magis aliquid in nihilum redigere, quàm Teſtmonium falſum atteſtari, aut alii ulli Imperfectioni obnoxium eſſe.

Pergit autem poſt pauca: " 7. Ratione *circumſtantiarum* multa non conveniunt Naturæ Divinæ, ac proinde *Impoſſibilia* ſunt, quæ tamen, ſepoſitis illis circumſtantiis, ab Omnipotentia Dei peragi potuerunt, v. g. Chriſtus oravit Patrem (Marc. 14. 35.) ut, *ſi fieri poſſet, tranſiret ab eo hora*; Paſſionis ſcilicet: Et verſu proximè ſequente aſſerit *omnia* Patri ſuo *poſſibilia eſſe*. Dices tu Patrem Æternum Orationem Filii ſui dilectiſſimi rejeciſſe? Abſit. Vides itaque nonnulla Deo *Poſſibilia* & ſimul *Impoſſibilia* eſſe ſub diverſa conſideratione, *Poſſibilia*, ſi *ita* ſpectentur; *Impoſſibilia*, quia Sapientiam ac Veracitatem Dei non decebat ut non implerentur Scripturæ. *pag.* 63. Quin hæc Verba non Impoſſibilitatem propriè ſtrictéque ac abſolute ſumptam arguunt. Non intendunt aliquid abſolutè dici poſſe Deo eſſe Impoſſibile, ſed non Decens, poſitis quibuſdam Circumſtantiis; Cum & Author ille noſter illa verba ſic explicat; Domique expreſsè dicit, *Omnia* Patri ſuo *Poſſibilia eſſe*; Et *Tertullianus* de Carne Chriſti

LVI. Et Septima.

poſt principium: *Deo nihil impoſſibile.* Et *Arnobius* lib. 2. *Quod impoſſibile nobis eſt factu, Illi, Deo, poſſibile.* Verum id tamen culpandum eſt quod Author ille noſter Annihilationem etiam in Scripto illo ſuo prius ab Ipſo laudato abſolute eſſe impoſſibilem concludit. Meminiſſe etiam hîc oportuit. Satius eſſe dicere, non poteſt fieri ut Deus hoc faciat, quam abſolute dicere, Deus non poteſt hoc facere. Sed & reſpectu Hominum Vox Græca, Ἀδύνατον, & Latina, *Impoſſibile*, non abſolute ſemper id quod nullo unquam modo fieri poteſt, ſed & Difficultatem ſæpe denotat, uti illud apud Platonem in Timæo, Ἀδύνατον ἐν θεῶν μαθεῖν ἁπᾶσι *Difficillimum* factu eſt à *Diis* Ortis fidem non habere. Quin & apud J C quatuor modis dicitur quid Impoſſibile. 1. Natura, veluti digito cœlum attingere, Virum parere. 2. Impoſſibile quid eſt de Jure, veluti quicquid fit contra bonos Mores, vel Juris diſpoſitionem. Quia id demum poſſe dicimur, quod honeſte poſſumus, & quod contra bonos mores est id non facere nos poſſe præſumit, *Filius 15. de condit inſtit.* Hujus generis ſunt, hominem occidere, Patrem captivum non redimere, adulterium commiſcere. 3. Impoſſibile quid eſt propter perplexitatem, utputa, ſi tibi fundum promittam, ſi eum Titio non dederis. Hæc ſtipulatio quoque propter perplexitatem impoſſibilis, & proinde inutilis cenſetur, quia exitus ejus reperiri non poteſt. *L. ſi Titius 16. ff. de cond. inſt.*

4. Im

4. Impossibile quid est de facto, quod ob eventus difficultatem penè est impossibile, veluti ut si quis servum liberum esse jubeat, si millies dederit. Quæ summa est ditissimi hominis patrimonium, continens ex Budæi computatione vices quinquies centena millia aureorum nummorum quibus hodie utimur. *L. 4. Parag. 1. ff. de statu lib. Anton. August. lib. 2. emend. c. 6. in fin.* Ex quibus certe omnibus abundè patet, Vocem, Impossibile, æquivocam esse, proindéque non aliquid aliud apud *Deum* absolute pro Impossibili haberi debere, licet aliquando Impossibilitatem aliqualem respectu Circumstantiarum denotare constet.

LVII. Octava & ultima.

Tandem: " 8. Ex dictis evincitur, quòd, si *Deus* per Omnipotentiam suam effecerit, ut res aliqua *Incapax Existentiæ* fiat, ipso facto desinet esse vel annihilabitur; nec tamen, in eo casu, quicquam de Attributo aliquo *Divino* imminuetur. *pag. 63.* Ergo *Deo* jam tandem, auferendo existendi capacitatem, possibile est aliquid annihilare, sine Attributorum suorum præjudiciis. Pergit: " Unde itaque habet Res ut sit *Capax existendi*? Nempe ex eo quòd ita *Determinata* sit Materiæ Potentia seu Indifferentia, ut sit *Hoc* vel *Illud*, seu *Individuum*; cùm *Rem-in-communi* existere, seu quæ non sit vel *Hæc* vel *Illa*, evidenter Impossibile sit. *ibid.* Immò si actu determinetur Materiæ Potentia seu Indifferentia ad Existendum, desinit Potentia esse, & Actus fit.

Quæritur autem num à *Deo* determinatur illa Materiæ Potentia? Si affirmat; fatetur igitur jam etiam, quod prius asserui, Existendi Capacitatem omnem à *Deo* esse, proindéque nihil esse, quod à *Deo* quoad Existentiam suam non dependeat. Pergit: "Quare, posito quòd *Deus* Determinationes illas, seu Complexionem Accidentium auferat à Materia, & impediat ne aliæ succedant, ipso facto réddetur *Incapax* existendi Res illa, & esse definet seu annihilabitur: Neque tamen inde sequetur *Actionem* (nam Annihilatio *Actionem* quandam sonat) posse esse sine *Termino* seu *Effectu*; Neque ulli Attributo Divino imputabitur Defectus; Neque Mutatio aliqua ex consequio ponetur in Deo, qualem inducere Suspensionem Infinitæ Actualitatis Divinæ existimo; sed in Impossibilitatem ut Creatura *existat-ā-se*, vel ut Res *non-determinata* existere possit, rejiciendum est quòd Existentiam perdat, seu annihiletur. *ibid.* Verum si Creatio fuerit sine Termino aliquo positivo à parte ante, quidni Annihilatio fiat sine Termino aliquo positivo à parte post? Neque verò in Deo, sed in Creaturis Defectum aliquem, aut mutationem arguit suspensio illa Divina, qua Res creatas annihilari posse contenditur. Neque vero Annihilationem in Impossibilitatem aliquam ex parte Creaturæ, sed in Dei Voluntatem, qua Omnia stant vel cadunt, rejiciendum existimamus. Concludit: " Deus itaque in eo casu, non erit *Immediata* Annihilationis

Causa

Cauſa (quod *à ſe-Exiſtentiæ* repugnat,) ſed, quòd recidat in *Nihil* Creatura, in *Defectuoſam* ipſius conditionem integrè refundetur. *pag.* 64. Duo hîc ſunt, quæ admitti non debent: Primum eſt, Rei Annihilationem, ſi quando contigerit, Indigentiæ propriæ tribuendam eſſe; cum tamen certiſſima Naturæ Regula ſit, quòd Res quæque, quantum in ſe eſt, ſemper in ſuo ſtatu manebit, nec unquam niſi à vi aliena deſtruetur. Alterum eſt, Annihilationem pro Cauſa ſua immediata non habere Deum; cum tamen ab Ipſo Res omnes Creatæ, earúmque Capacitates omnes fiant, & continuò dependeant.

LVIII. Annihilationis Poſſibilitas.

Quin illud etiam turpiſſime Erratum eſt, quo, "ad Annihilationem, ſi quidem, ut habet, poſſibilem, Vult Deum auferre Determinationes omnes Materiæ, & *impedire* ne novæ ſuccedant. *pag.* 64. Quaſi verò Determinationes Materiæ aliunde quam à Deo ipſo fierent, nec Dei ipſius Aliud, hac in cauſa, ſit quàm Impedire ne aliquæ ſuccedant. Verum necdum Confeſſus eſt Ille, Deum auferre poſſe Determinationes omnes à Materia, & Impedire ne novæ ſuccedant. Immò Quærenti contrarium ſtatuit: "Reſpondeo, meam quidem eſſe Sententiam quòd ſecundum Potentiam ſuam *Ordinariam*, non poſſit: an per Extraordinariam id perfici poſſit, candidè profiteor me planè *neſcire*. *ibid.* Quin & in Sententiæ Affirmativæ præjudicium mox addit: " Quòd Potentiam in Deo ponat æternùm *Otioſam*; ut quæ nunquam (quantum nobis innotuit) prodiit hactenus

ctenus in *actum*; cum nunquam a quoquam aſſertum ſit quod ad Orbe condito unquam ſe *exeruerit*; at nec ab ullo quod ſe *exertura ſit*, præterquam à nonnullis male ſanis; qui, Æternas Gehennæ pœnas horrentes, non alias eſſe eas quam Annihilationem æternam imaginantur. *ibid.* Quaſi vero Deus ab æterno Otioſus fuerit ante creatum Mundum, aut non æquè poſſit poſt, ac ante Mundum ſe exerere. Quaſi quia non aſſeruimus Deum aliquid hactenus actu annihilâſſe, Ergo nec in poſterum eum aliquid annihilare poſſe dicendum ſit. Quaſi etiam Corporeum nihil annihilari poſſit, niſi & Animæ Damnatæ, cum pœnis ſuis infernalibus annihilarentur. Non hoc aſſerunt, qui Damnatorum Animas annihilari volunt. Neque verò deſineret Deus eſſe Juſtus, ſi modo poneremus Eum Damnatos annihilare poſſe. Aliter autem Ille: " Nam ad Juſtitiam Divinam eſſentialiter ſpectat *punire peccatores*, & *quamdiu* peccant. *pag.* 65. Quid, peccatores quoſcunque, etiam leviſſimè peccantes, & quamdiu etiam, quo tempore ſcilicet, leviſſimè offendunt! Ergo ita eſſentialiter Juſtus eſt Deus, ut non ejus Miſericordia, nec Tolerantia, ſeu Longanimitas eluceſcere poſſit. Ergo ita ubique ejus Juſtitia appareat, ut ejus Omnipotentiæ Locus nullus relinquatur. Quin & ſine Annihilatione Spirituum Lapſorum, docuit poſt alios Origenes, Ipſos ex Gehenna à Deo tandem aliquando, Satiata ejus Juſtitia, Liberari poſſe. Neque is ejus Error fuerit, quia Deum eos liberare potuiſſe, ſed quia Voluiſſe dixit.

Quoad

Quoad confertam, quam vocat, Abſurditatum mearum farraginem hæc habet: "Ais Primo, *ſi Deus non poſſit conſervationis Actionem ſuſpendere quia Bonus eſt*, ob eandem rationem, eum *finem huic Mundo nunquam poſiturum*. Quaſi vero ad Bonitatem Dei non ſpectaret ut *adveniret Regnum Chriſti*, & Sancti in ſtatu Æternæ Felicitatis ſtabilirentur. *pag.* 65. At de Mundi interitu per Annihilationem intelligenda eſt Objectio: Unde hac ratione ſua, Chriſti Regnum advenire non poteſt, nec Sancti in ſtatu felicitatis ſtabiliendi ſunt, ſi Mundus annihilaretur. De Mutationibus aliis non loquor. Notiſſimum quidem eſt, Mundum iſtum quem incolimus terrenum, uti olim per Aquas periiſſe, ita & poſtea per ignem periturum eſſe: Cujus utriuſque Mutationis Theoriam ſacram ingeniosè admodùm exhibuit *Burnetius*, Philoſophus Eximius. Idquè ex Principiis non tam ſuis, quam Carteſii. Cujus autem Veſtigiis ſi preſſiùs inſtiterit, à nonnullis certè, illis nimirum de Babylone ſuaMyſtica & id genus aliis, quibus integrum Opus Vitiatur, Suavitaſque omnis unguenti, veluti muſcis mortuis maléque olentibus perditur, prudentiùs abſtinuerit. Neque vero inde colligendum, quin poſt omnia, Mundum iſtum inferiorem, ſi non actu annihilatum fore, annhilari à Deo ſaltem poſſe concludamus. Quin cum Annihilatio certe, aliud non ſit, quam ad Nihilum reductio, ſive deſtructio abſoluta, nulla ad hoc requiritur Actio. Id enim fit per ſolam Dei Ceſſationem ab agendo. Quippe

LIX. Mundi Interitus per Annihilationem eſt Poſſibilis.

ſi

ſi Rei cujuſpiam Conſervatio, ſit continua ejus Creatio, res illa non amplius per Conſervationem eſſe perſeverat, ubi illam Deus porro ſic Creare ſeu producere deſinit. Quis autem neget Deum poſſe ceſſare velle, quod velle ipſi liberum fuit? Voluntas in Deo Mundi condendi, quamvis æterna & immutabilis, quemadmodum Operationes immanentes, nullam neceſſitatem ponit: Sicuti Deus decernere potuit Mundum in tempore creare, potuit ſempérque potest ceſſare velle, ut Mundus ſit.

LX. Æternitas a duratione diſtinguenda.

Pergit: "2. *Debuiſſe Deum ab Æterno creare.* Miſeret me tui, mi Amice, quod *Æternitatem* conſiſtere in longo aliquo Temporis fluxu, vel Tempori noſtro conſimili, ſomnias. Tu mirabere, & me *in Deum Impium* clamabis, ſi dixero non potuiſſe Mundum *citiùs* creari quam de facto creatus fuerit; immò ſi aſſeruero nihil eſſe demonſtrabilius poſitione iſtâ. *pag.* 65. Immò ſi Creatio Deo ſit eſſentialis, quod vult Ille; Conſequentia clara eſt, debuiſſe Eum ab æterno creare, quia ab æterno Eſſentiam & Bonitatem ſuam omnem habuit. Quin & confidentem, ſi non Impium oportet ut dixerim, qui Mundum non citiùs potuiſſe creari, quam de facto creatus ſit, aſſeruerit: cum Mundum, Tempúſque omne, Dei ipſius Voluntati liberrimæ Ortum ſuum debere conſtet. Neque tamen Æternitatem in longo aliquo Temporis fluxu conſiſtere putem: Cum Æternitas Dei, me etiam fatente, conſiſtat in *Eſſe*, quod nullas *partes* habet nec habere poteſt; quanquam non cum

ipſo

ipſo addam, & *tali eſſe*, quod omne imaginabile *Fuiſſe* & *Fore* formaliſſimè includit, & cum iis identificatur. cum æternitas tantum abeſt ut cum terminis illis, *fuiſſe* & *fore*, identificetur, ut quicquid ejuſmodi ſub imaginationem cadat, omnino refugiat. Sed & poſtea, in cauſa etiam aliena, Cavillationem ſuam repetit: "Mihi compertiſſimum eſt nonnullos, *Philoſophorum* nomine vulgò (ſed immèrito) inſignitos reperiri, interque illos D. *Le Grand*, qui *veram* de *Æternitate* Notionem ſeu Ideam non habeant, ſed eam penitus ignorent; Et illam conſiſtere [lego: putent cõſiſtere] in longa aliqua *exporrectione Durationis*, cujus una pars eſt *poſt* aliam, modo ferè Tempori noſtro conſimili. *pag.* 185. Cum tamen Durationem licet ut Corporibus, ita & Mentibus creatis, quæ non poſſunt per unum ſolum ſuæ Cogitationis actum, Rerum omnium, quarum capaces ſunt perceptionem habere, tribuamus; Eandem certe omnem, utpote ſucceſſivam, ab Æternitate excludimus. Nam ſi probe quid ſit Æternitas conſideremus, cognoſcemus Eam eſſe inſtar Centri, circa quod Tempora & Durationes ſuccedentes ſine fine rotantur; Et quemadmodum nullus locus in Circuli ſuperficie aſſignari poteſt, quin ſemper ejus partes anteriores & poſteriores inveniantur: cum contra Centrum ſit indiviſibile atque Immobile: Sic etiam Tempus ſine parte anteriore & poſteriore concipi non poteſt, neque Æternitas cum illis, quia eſt Perfectio ſimplicis Eſſe Dei; quam *Boethius* definit

In-

Intermina bilem vitæ totam ſimul & perfectam poſſeſſionem. Quibus verbis, *tota ſimul*, ſignificatur, eas omnes unà poſſidere perfectiones, & non ſucceſſivè Unas poſt alias: Unde & manifeſte ſequitur, Creaturas tam Corporeas quàm Intellectuales Æternas eſſe non potuiſſe, cum poſſibile non ſit, ut Eæ omnia Attributa, quorum Capaces ſunt, quod Dei ſolius æterni proprium eſt, Unà obtineant

LXI. An Deus ab æterno Creator, & immenſus dicendus ſit.

Quin hæc etiam habet: "Quo autem Mentem tuam àPhantaſiæ præſtigiis liberem, quid ſi, aliud Paradoxum tibi exhibeam, nempe Deum (quantum ex parte *ſui*) Mundum ab omni Æternitate *creaviſſe*, *creare*, & *creaturum* quoque eſſe. *pag.* 66. Verum, quamvis Attributa, quæ Deo tribuuntur, formales ſint Rationes quæ Ipſius Eſſentiam ſubſequantur, atque ab ea proveniant, non tamen Ei omnia ab æterno, niſi Potentia, conveniunt, ut cum vocatur Creator, Judex, Miſericors, cum aliis ſimilis notæ attributis, quæ niſi poſtquam Res creatæ ſunt, ipſi competunt. Eodem modo Immenſus ſeu Omnipræſens dicitur, in quantum rebus ſingulis adeſt, & in eas agit. Unde & pro diverſo modo, quo Deus in res agit, Præſentia Dei alia dicitur generalis, alia peculiaris. Generatim Deus omnibus rebus creatis, tum Corporeis tum incorporeis præſens adeſt, quos non modo creavit, ſed continuata productione conſervat. Speciatim vero adeſt Humanitati Chriſti, quam in Unitatem Perſonæ aſſumpſit; adeſt & juſtis mentibus per Gratiam. Quod etiam Attributum

butum ante Rerum productionem Deus non habuit. Ante mundum scilicet conditum, antequam operatus erat ad extra, Deus sibi ipsi locus erat & omnia: Unde tum nec Creator, nec Immensus quoad extra, nisi ratione Potentiæ, in quantum nimirum illa Potentia se in re creata exercere potuit, dicendus fuit. Post mundum autem conditum, certum est Deum, etiam quoad Essentiam suam debere esse ubique præsentem, ut ejus potentia ibi se exerat. Verbo: Ubique Deus dicitur, quatenus rebus omnibus tam incorporeis, quam Corporeis, adeóque & locis est præsens; primò respectu Operationis, quatenus nempe immediate in omnibus operatur, omnia conservat, & gubernat; dein ratione Potentiæ, quoniam potentia ab operatione separata esse nequit, & tandem cum potentia idem sit cum Essentia, etiam respectu Essentiæ: At ab æterno, seu ante Mundum conditum, nec Immensitatis dictæ ad extra consideratæ, nec Creatoris Nomenclaturam Deo ipsi actu proprieque competere potuisse affirmamus.

Quid porro? "Pergis, & *ais*, 3. *Eâdem ratione Animarum Pra-existentiam cum Origenistis oportet ut teneamus.* Adeo penitus ignarus es, Amice mi, ut nescias *Partes* non posse *esse* nisi in *Toto*, & per esse *Totius*; nec [lego: et] proinde Anima, [lego: Animam,] cum sit *Pars*, seu (ut tute fateris) *Forma* Hominis, non esse *Ens*, seu *capax* [lego: *capacem*, seu quid *capax*] *existentiæ*, nisi quando cum Materiâ *Totum* seu Hominem componit. *pag.* 67. Pergit autem se quasi corripiens

LXII. Animæ Humanæ Ortus, ac existentia ostenditur

piens: "Et, licet poſtquam aliquales cognitiones Actuales, & quaſi Complexionem Accidentium Spiritualium, nacta fuerit in corpore & per Corpus, ex ſe exiſtere apta ſit; tamen cum ſit *Pura Potentia* ad cognitionem, (qualis eſſet ante Infuſionem,) impoſſibile eſt ut exiſtat, cum non eſſet in eo caſu *determinata* in ratione *Cognoſcitivi*; unde Præ-exiſtendi omninò Incapax erat. *ibid.* Animam quidem Cognitione aliquali, quam à Corpore nacta eſt, præditam, ex ſe exiſtere aptam eſſe concedit, Actu tamen Eam ſine Corpore ſuo exiſtere non affirmat. Quin & fruſtra Animam, quam Hominis partem eſſe doceo, non per ſe etiam ſeparatim exiſtere poſſe contendit: ne dicam Animam Hominis, Formam aliquando dici poſſe, ſed non Formam ejus Aſſiſtentem, quia non dat ei nudum motum, nec Informantem, quia non dependet à Materia in fieri, eſſe, & operari, ſed alterius generis, quo fit ut Hominis Formam Humanitatem eſſe ſtrictius aſſeramus. Hæc autem ut mittam, Duo in locis modo citatis hîc notare licet, Animæ Humanæ ſcilicet ſine Creatione Infuſionem, ac ejuſdem ſine Corpore Non-exiſtentiam. Video igitur nunc, ſed horreſco referens, quàm Carteſianis Animam eſſe Rem à Corpore diſtinctam aſſerentibus, ideo ſuccenſeat Ille, ne ipſi non integrum ſit negare ejuſdem à Morte ad Reſurrectionem, ſi Reſurrectionem agnoſcat, Exiſtentiam. Præclarum ſane argumentum eſt, quo oſtendatur quomodo Anima Præexiſtendi ſit omninò Incapax. Aſſeruerunt quidem Alii, qui cum

ipſo

ipſo Animam non ſemper cogitare volunt, illam ipſam poſt Mortem uſque ad Reſurrectionem dormire, quo ſtatus Medius, Omniſque illa quæ eum ſupponit Religio, tollatur: Hic Animam ſuam, ob eandem fortè rationem, ne unquam ſaltem præexiſtendi capacem putemus non actu, Potentiam utpote aut Corporis partem aliquam potentialem, non Rem à Corpore diſtinctam, poſt Mortem ante Corporis ſui Reſurrectionem exiſtere non obſcurè innuit. Quoad Animæ Humanæ Infuſionem dictam, cum non Rem agnoſcat à Corpore diſtinctam, ſed Potentiam meram, Vereor ne non ejus Creationem modo neget, ſed & eam per Traducem Seminari dicat; quæ Syriaca Amentia audit, quæ ſcilicet unà cum ſemine Animam effundi vult, fortaſſe à *Tatiano Syro*, qui in Oratione adverſus Græcos videtur ſentire Animam cum Corpore extingui & in extremo Judicio reſuſcitatum iri: Quæ etiam dicta fuit Hæreſis Arabica, ab *Origine*, aliiſque, cum Animæ corruptionem inferat, exploſa ac refutata: Nonnulli eam reſtaurare quadantenùs aggreſſi ſunt, quibuſcum ſentiunt *Sociniani*, uti & *Hobbeſius*, qui mortalitatem Animæ naturalem uſque ad Reſurrectionis diem defendit: Quoad autem Animarum Præexiſtentiam, fatendum eſt, Antiquiſſimos quoſque cum Pythagora, omnibuſque Platonicis, & Origene, Animas ante Corpora in principio ſingulas ſimul conditas, in ſtatu feliciori, quàm in Corpore ſunt, ſtatuiſſe. Tempore Chriſti, Judæos & ejus Diſcipulos præexiſtentiam Animarum ſtatuil-

piens: "Et, licet poſtquam aliquales cognitiones Actuales, & quaſi Complexionem Accidentium Spiritualium, nacta fuerit in corpore & per Corpus, ex ſe exiſtere apta ſit; tamen cum ſit *Pura Potentia* ad cognitionem, (qualis eſſet ante Infuſionem,) impoſſibile eſt ut exiſtat, cum non eſſet in eo caſu *determinata* in ratione *Cognoſcitivi*; unde Præ-exiſtendi omninò Incapax erat. *ibid.* Animam quidem Cognitione aliquali, quam à Corpore nacta eſt, præditam, ex ſe exiſtere aptam eſſe concedit, Actu tamen Eam ſine Corpore ſuo exiſtere non affirmat. Quin & fruſtra Animam, quam Hominis partem eſſe doceo, non per ſe etiam ſeparatim exiſtere poſſe contendit: ne dicam Animam Hominis, Formam aliquando dici poſſe, ſed non Formam ejus Aſſiſtentem, quia non dat ei nudum motum, nec Informantem, quia non dependet à Materia in fieri, eſſe, & operari, ſed alterius generis, quo fit ut Hominis Formam Humanitatem eſſe ſtrictius aſſeramus. Hæc autem ut mittam, Duo in locis modo citatis hîc notare licet, Animæ Humanæ ſcilicet ſine Creatione Infuſionem, ac ejuſdem ſine Corpore Non-exiſtentiam. Video igitur nunc, ſed horreſco referens, quàm Cartefianis Animam eſſe Rem à Corpore diſtinctam aſſerentibus, ideo ſuccenſeat Ille, ne ipſi non integrum ſit negare ejuſdem à Morte ad Reſurrectionem, ſi Reſurrectionem agnoſcat, Exiſtentiam. Præclarum ſane argumentum eſt, quo oſtendatur quomodo Anima Præexiſtendi ſit omninò Incapax. Aſſeruerunt quidem Alii, qui cum

ipſo

ipſo Animam non ſemper cogitare volunt, illam ipſam poſt Mortem uſque ad Reſurrectionem dormire, quo ſtatus Medius, Omniſque illa quæ eum ſupponit Religio, tollatur: Hic Animam ſuam, ob eandem fortè rationem, ne unquam ſaltem præexiſtendi capacem putemus non actu, Potentiam utpote aut Corporis partem aliquam potentialem, non Rem à Corpore diſtinctam, poſt Mortem ante Corporis ſui Reſurrectionem exiſtere non obſcurè innuit. Quoad Animæ Humanæ Infuſionem dictam, cum non Rem agnoſcat à Corpore diſtinctam, ſed Potentiam meram, Vereor ne non ejus Creationem modo neget, ſed & eam per Traducem Seminari dicat; quæ Syriaca Amentia audit, quæ ſcilicet unà cum ſemine Animam effundi vult, fortaſſe à *Tatiano Syro*, qui in Oratione adverſus Græcos videtur ſentire Animam cum Corpore extingui & in extremo Judicio reſuſcitatum iri: Quæ etiam dicta fuit Hæreſis Arabica, ab *Origine*, aliiſque, cum Animæ corruptionem inferat, exploſa ac refutata: Nonnulli eam reſtaurare quadantenùs aggreſſi ſunt, quibuſcum ſentiunt *Sociniani*, uti & *Hobbeſius*, qui mortalitatem Animæ naturalem uſque ad Reſurrectionis diem defendit: Quoad autem Animarum Præexiſtentiam, fatendum eſt, Antiquiſſimos quoſque cum Pythagora, omnibuſque Platonicis, & Origene, Animas ante Corpora in principio ſingulas ſimul conditas, in ſtatu feliciori, quàm in Corpore ſunt, ſtatuiſſe. Tempore Chriſti, Judæos & ejus Diſcipulos præexiſtentiam Animarum ſtatuil-

ſtatuiſſe, inde colligunt hujus Opinionis Fautores quòd ex Johanne quærerent, utrum Ipſe eſſet Elias, vel aliquis Prophetarum: Item, quòd putarent Alii Jeſum Dominum noſtrum eſſe Eliam, Alii Hieremiam, Alii Johannem Baptiſtam, Alii Unum Prophetarum. Deinde niſi etiam Diſcipuli ita ſenſiſſent, temerè, inquiunt, Chriſtum interrogaſſent, Joh. 9. 2. de Cæco nato, utrum Ipſe peccaſſet, an Parentes ejus, quod Cæcus Natus eſſet. Ubi etiam notant, Chriſtum nunquam, licet optima Occaſio identidem oblata fuerit, Sententiam eandem improbaſſe, ſed confirmaſſe potius, cùm diſertis verbis Joannem Baptiſtam appellat Eliam: Quod certe ſi in & per ſe Sententia illa eſſet Hæretica, Chriſtus non feciſſet, ut ſcilicet *Diſcipulos* ſuos in Hæreſi reliquiſſet & confirmaſſet: Neque Apoſtoli Spiritu S. accepto, neque Primitivæ Eccleſiæ Patres eam non condemnaſſent; cum tamen conſtat Eccleſiæ Doctores, ante ſeculum ſextum, eandem non modo ſilentio approbaſſe, nullo habito Concilio, quod Sententiam contrariam definivit, & hanc condemnaret; ſed & aperte Animarum Præexiſtentiam defendiſſe. Hæc Illi qui id probatu facile exiſtimant. Et quidem Animam creari ante Corpus potuiſſe, quia Separata à Corpore exiſtat, incorruptaque permaneat,, fuſe Scotus, Aliique probavere. Illud unum autem culpandum eſt, unde & Authoritas Concilii an. 553. Sententiam hanc damnavit, quòd Nonnulli fieri non poſſe exiſtimarunt, quin Animæ Humanæ præexiſterent, Authoris noſtri terribilis

bilis argumento ducti, quo Deum ex ſumma ejus Bonitate, Eſſendique attributo eſſentiali, Animabus Præexiſtentiam, Eámque ob æterna illa attributa, æternam neceſſario dediſſe concludebant. Ipſis autem, ac Authori noſtro reſponderi poteſt, non infinitam Dei Bonitatem, nec ulla alia ejus Attributa, id efficere, ut neceſſitaretur ad Exiſtentiam aut dandam, aut continuandam, niſi eo tandem tempore, quo Ipſi viſum fuerit.

LXIII. Damnati an ſine Deliberatione Lapſi ſunt.

Pergit: "4. Opinaris eâdem ratione dici oportere *Dæmones Damnatos reſtituendos*. Putáſne ad Bonitatem Divinam ſpectare, ut Peccatores malitioſi, & in malitiâ ſuâ in perpetuum Obſtinati, Felicitate Cœleſti donandi ſint; cum id genus reliquis. *pag.* 67. Non puto: cùm Ipſis nunquam pœnitere datum ſit. Quanquam ſi ſine Conſideratione, quæ ejus eſt Opinio, peccaverint Dæmones, non video quidni Deus Opt. Max. Eis, utpote quod ſic non malitioſe erraverint, pœnitentiam dederit. Poſteà; "Quot Hæreſibus, Amice mi, me oneraſti? Ac quid dico, *Hæreſibus*, cum vel *Ethniciſmi Epicurei* me Cultorem aſſeruiſti? Neque hoc iræ tuæ ſufficit, nam (5.) Obïcis quod juxta Doctrinam meam *Dæmones Injuſtè damnantur, nullo eis permiſſo conſiderationis tempore*. Quam ineptus es, præ veræ Philoſophiæ ignorantiâ, de Theologicis vel *loqui*! Diſce à Scholarum Principe, *D. Aquinate* 1 q. 59. 3. 1. *Angelis non eſſe Electionem per inquiſitivam deliberationem Conſilii, ſed per ſubitam acceptationem Veritatis*. *pag.* 61. Amo-

veat à se omnes, per me licet, Hæreses, & Ethnicismum omnem: Verum si *Dæmones*, quod vult Ille, primo Instanti, nullo eis dato considerandi tempore lapsi sunt, cum non Omniscii fuerint, sequitur eos non ex malitiâ, sed fataliter potius & ignoranter peccâsse, proindéque à *Deo* justissimo ac maximè Bono, in æternum damnari non debere. Quin Gratum est, quod Philosophiam veram Theologiæ usui esse docet: Vereor autem ne quam Ille veram existimat, non alia sit quam futilis illa, de quâ monet Apostolus. Quem laudat certe *D.* Aquinatem non intelligere videtur. *Docet* Scholarum ille Princeps, Angelorum electionem illam, non esse per Inquisitivam Consilii deliberationem, non per anxiam scilicet, solicitam, ac longam deliberationem, sed per subitam, nec tamen instantaneam Veritatis Acceptationem. Quod & Illi docent, qui Ipsis Considerationem aliqualem attribuunt.

LXIV. Dei & Angelorum Cognitio distinguenda.

Ultimo: "6. Obiicis, quod si Angeli in primo Instanti omnia cognoscerent, *Deum ipsum Scientiâ æquarent*. Hæc, fateor, objectio est te digna. Nam, facile tibi erat imaginari quod *Scientia* consistat in *Extensivo* Cognitorum *Numero*, & non in *Intensivâ* rerum *Penetratione*; seu in eâ Cognitionis Perfectione quæ desumitur ex parte *Subjecti*, & *Rationum* seu *Mediorum*; quæ sola ad veram Scientiam *imbibendam* ac *generandam* apta sunt. *pag.* 68. Ergo *Dei* Cognitio non ad Plura, quam Aliorum extenditur. Ergo & hinc etiam colligendum est,

est, Scientiam omnem uti Hominum, ac Angelorum, ita & *Dei* ipsius ex Subjecti ac Mediorum Considera-ione imbibendam ac generandam esse; cum tamen *Dei* Cognitionem, non Rebus ipsis, sed sibi ipsi, qui Res illas antequam existerent, novit, iisque non Existentiam modò, sed & Essentiam suam dedit, deberi certum est. Neque vero Errorem esse negandum est, siquis dixerit Scientiam *Divinam* non æque extensivè ac intensivè considerandam esse. Quippe *Dei* unius est Res ipsas, earúmque Extensiones ac Intensiones omnes per se penetrare. Neque vero Creaturæ ullius Scientiam ullam, Causam aliam primariam, quam *Dei* Voluntatem, habere agnoscamus. Neque vero *Deum* Creaturæ alicui Rerum absolutè omnium Scientiam communicare dicamus. Quin & deficiunt, si ad Angelorum Cognitionem conferantur, *Exempla* quæ *pag.* 69. habet, de Rustico, & Artis Pictoriæ Magistro, ut & de Lusco, & Perspicaci, quibus Angelos Superiores ac Inferiores pari modo ac illos, magis scilicet aut minus perspicuè solum, Res quæ in natura sunt omnes cognoscere contendit. Immò & de Angelis addit, quod "Omnes poterunt omnia quæ sunt, in *Deo*, tanquam in *Primâ Causâ*, videre; & tamen, aliqui, ob præcellentiorem & Nativam Spiritalis Oculi indolem, vel ob dotes Gratiæ quâ meliorem & quasi magis Familiarem *Divini* Numinis cognitionem habent, longè intimius, idque ultra omnem fere comparationis gradum, *penetrabunt* Naturas eorum, quam alii. *ibid.* Verum

rum non intimius modo, ſed & Plura Objecta Angelorum Unus altero videat. Immò nova aliquando Objecta ſibi repræſentata habeant ſinguli. Neque tamen inde ſequetur, *D*amnatos pœnitere poſſe. Quippe pœnitere ſit *D*os Grâtiæ, quæ cum non à ſimplice Terminorum Connexione, ſed ex *D*ivino Beneplacito proveniat, ab iis expectari non poteſt, quibus *D*eus infinitè Bonus, Sapiens, ac Juſtus, non in æternum dederit.

LXV. Ut circa Ideas, Reſque in Mente exiſtentes Ertatum eſt.

Sequitur alia Errorum Claſſis: Nempe Authoris noſtri Errores Alii ſunt Temerarii & Periculoſi, quos ſi continuo cum prioribus tenore enumeremus, qui nunc inſtat *Sextus eſt, Res* ſcilicet *omnes cognitas, exceptis Ideis, in Mente exiſtere, Immo Mentem cognoſcendo Eaſdem revera fieri.* Præf. *Sect.* 28. 36. Quid autem ad hæc Ille? Illud in Examine ſuo primò, loco opportuno, quo Reliquas Præfationis meæ, quas poteſt, partes expendit, omittere Ipſi placuit, caveréque ut non niſi longiori tædio inveniamus. Neque verò ſic effugiet. Quoad *Ideas exceptas*, poſt verſas multas paginas, hæc tandem reperiantur Verba, quæ huc ſpectant: "Cum ex Polemicâ Præfationis ſuæ indole ſatis pateat, ipſi propoſitum fuiſſe, ſe Adverſarium mihi conſtituere, ſeu *D*octrinam meam confutare, Explicationem proinde Sententiæ meæ hic præmittendam video. Poſitio autem mea eſt hujuſmodi. *pag.* 115. De Poſitione iſta ſua poſtea. Quid de *Ideis* ſentiat, jam videamus: "Quod ſi verum ſit [quæ ſcilicet poſitio ſi vera ſit] nullis *Ideis* opus erit; neque tales Res, quales

les *Spirituales Ideas* effingunt in rerum natura ſunt ponendæ; unde ſequi neceſſe eſt, nullam Claram & Diſtinctam Notionem nos de iis habere poſſe; neque illas explicatione ullâ, aut Definitione, quæ ſanum Senſum habeat, delineare. Quis etenim poteſt explicare illud, quod *Nuſquam* eſt, vel quod pejus, id quod *Chimæra* eſt. *pag.* 115. 116. Bene eſt! *Ideæ omnes*, exorto novo jam Lumine, veluti umbræ evanuerunt. Nuſquam ſunt. Chimæræ ſunt. Quare autem? Id poſtea declarat: "Quæſtio eſt an dentur *Ullæ* omninò *tales Ideæ*: Nam, *ſi Res ipſa* ſit per modum objecti in intellectu, non opus erit *Ideis*: eò quòd Rem ipſam *eſſe ſui Cognoſcitivâ* Potentiâ eſt *Rem ipſam Cognoſci*; neque, in caſu illo, *Vicario* aliquo indigere poterit, cùm *Ipſamet* ibi ſit. *pag.* 119. 120. Ergo hùc tandem devenit hæc conteſtatio, Rem eſſe in intellectu, nihil aliud eſſe quam intelligi.

LXVI. Carteſii mens de Ideis.

Quæ autem hæc ejus Poſitio? Quod *Lumen* illud *Novum*, quo novus iſte Enthuſiaſta donari ſibi viſus eſt? Id ut clarius appareat, poſitionem utramque, tum Carteſianam, tum hanc Scriptoris hujus noſtri hîc, coram exhibere oportet. Idque eo quidem, hac in cauſa magis, ut videat Adverſarius, quid illud ſit, cui ſe, vimque ſuam omnem opponi velit. Res ita ſe habet: Cùm *Carteſius* in *Diſſertatione* ſuâ de Methodo, his Vocibus *Cogitatione*, ſive *Idea* uſus ſit, hæc in Margine poſuit: *Nota hoc in loco, & ubique in ſequentibus, nomen Ideæ generaliter ſumi pro omni re cogitata, quatenus habet tan-*

tùm esse quoddam objectivum in Intellectu. Videmus quid hoc in loco, & in sequentibus, in *Dissertatione* certè ista de Methodo, per *Ideam* intelligendum vult Philosophus. Quin & utramque hanc vocem, *Cogitationem* scilicet & *Ideam* explicat apud Rationes suas More Geometrico dispositas, *Dei* existentiam, & Animæ à Corpore *Distinctionem* probantes, ubi hæ sunt Ejus *Definitiones*: 1. *Cogitationis* Nomine complector illud omne, quod sic in Nobis est, ut Ejus immediatè conscii simus. Ita omnes Voluntates, Intellectus, Imaginationis & Sensuum operationes sunt cogitationes. Sed addidi *immediatè*, ad excludenda ea, quæ ex iis consequuntur, ut Motus Voluntarius Cogitationem quidem pro Principio habet, sed ipse tamen non est Cogitatio. 2. *Ideæ* nomine intelligo cujuslibet Cogitationis formam illam, per cujus immediatam Perceptionem, ipsius ejusdem Cogitationis conscius sum; Adeò ut nihil possim Verbis exprimere intelligendo id quod dico, quin ex hoc ipso certum sit in me esse Ideam ejus, quod verbis illis significatur. Atque ita non solas Imagines in Phantasia depictas Ideas voco, Immò ipsas hîc nullo modo voco Ideas quatenus sunt in Phantasia Corporea, hoc est, in parte aliqua Cerebri depictæ, sed tantùm quatenus Mentem ipsam in illam Cerebri partem conversam informant. 3. Per *realitatem objectivam Ideæ*, intelligo Entitatem Rei repræsentatæ per Ideam, quatenus est in Idea; Eodémque modo dici potest perfectio objectiva, vel Artificium objectivum

vum, &c. Nam quæcunque percipiuntur tanquam in Idearum objectis, ea sunt in ipsis Ideis objectivè. 4. Eadem dicuntur esse *Formaliter* in Idearum objectis, quando talia sunt in ipsis qualia illa percipimus; & *Eminenter* quando non quidem talia, sed tanta, ut talium Vicem suppliere possint. Quin & in *Præfatione* ad Lectorem, ante Meditationes de Prima Philosophia, Posteriori ex duobus, quæ Ipsi objecta sunt, occurrens, hæc habet: *Alterum* est, ex eo, quod Ideam rei me perfectioris in me habeam non sequi ipsam Ideam esse me perfectiorem; & multo minùs illud quod per istam Ideam repræsentatur existere. Sed Respondeo hîc subesse æquivocationem in voce *Idea*; Sumi enim potest vel *materialiter* pro operatione Intellectus, quo sensu me perfectior dici nequit, vel *Objectivè* pro Re per istam Operationem repræsentatâ, quæ Res etsi non supponatur extra Intellectum existere, potest tamen me esse perfectior, ratione suæ Essentiæ. In *Responsione* etiam ad primas Objectiones, quæ erant Doctissimi alicujus Fœderati Belgii Theologi, hæc habet: Scripsi *Ideam esse ipsam rem cogitatam*, quatenus est objectivè in Intellectu. Ubi advertendum, me loqui de Idea, quæ nunquam est extra intellectum, ratione cujus, *esse objective* non aliud significat, quam esse in Intellectu eo modo, quo Objecta in illo esse solent. Et in *Responsionibus* ad objectiones Tertias, quæ sunt *Tho. Hobbii*: Hic nomine *Idea* vult tantùm intelligi Imagines rerum Materialium in Phantasia Corporea depictas, quo posito facile illi

eſt probare nullam Angeli, nec Dei propriam Ideam eſſe poſſe; atqui ego paſſim ubique, ac præcipuè, hoc ipſo in loco, oſtendo me nomen Ideæ ſumere, pro omni eo, quod immediatè à Mente percipitur, adeo ut cum volo & timeo, quia ſimul percipio me velle & timere, ipſa volitio & timor inter Ideas à me numerentur, Uſúſque fum hoc nomine, quia tritum erat à Philoſophis, ad formas perceptionum Mentis Divinæ ſignificandas, quamvis nullam in Deo Phantaſiam agnoſcamus; & nullum aptius habebam. Satis autem puto me explicuiſſe Ideam Dei pro iis, qui ad meum ſenſum volunt attendere, ſed pro iis qui mea verba malunt aliter, quàm ego intelligere, nunquam poſſem ſatis. Et poſtea: Si detur Idea (ut manifeſtum eſt illam dari) tota hæc collabitur objectio; cumque additur non dari Animæ Ideam, ſed ratione colligi; idem eſt ac ſi diceretur non dari ejus imaginem in Phantaſia depictam, ſed dari tamen illud quod ego Ideam vocavi. Et poſt panca: Hîc quoque quod dicitur non eſſe Idea ſolis, & tamen deſcribitur, eſt id ipſum quod ego Ideam voco. Et poſtea: Notavi ſæpius me nominare Ideam id ipſum quod ratione evincitur, ut & alia, quæ quolibet modo percipiuntur. Satíſque explicui quomodo Realitas ſuſcipiat plus & minus: ita nempe ut ſubſtantia ſit magis Res, quàm modus: atque ſi dentur Qualitates reales, vel Subſtantiæ Incompletæ, ſunt magis Res quam modi, ſed minus quam Subſtantiæ completæ, ac denique ſi detur Subſtantia infinita & Independens, ſit magis Res

quàm

quàm finita, & dependens. Hæcque omnia per ſe ſunt notiſſima. Et in *Reſponſione* ad objectiones Quartas, quæ erant D. Arnoldi Doctoris Sorbonici: Cùm ipſæ Ideæ ſint Formæ quædam, nec ex materia ulla componantur, quoties conſiderantur quatenus aliquid repræſentant, non *materialiter*, ſed *formaliter* ſumuntur; ſi verò ſpectentur, non prout hoc vel illud repræſentant, ſed tantummodo prout ſunt operationes intellectus, dici quidem poſſet materialiter illas ſumi, ſed tunc nullo modo veritatem vel falſitatem objectorum reſpicerent. Quæ quidem omnia ideò hîc fuſè citata ſunt, ut ſciat taudem Ille, quæ ea eſt *Carteſii* opinio, cui contradicere ſtudet; ſed & ut his etiam incitetur ad videndum, quid Alii priùs contra eum ſcripſerint: Satis enim multa & varia (ut habet *Carteſius* præfat. ſupra citata) ab Illis fuerunt objecta, ut auſim ſperare non facile quicquam Aliis, ſaltem alicujus momenti, venturum in mentem, quod nondum attigerint; Ideóque rogo etiam, atque etiam Lectores, ut non prius de meditationibus judicium ferant, quam objectiones iſtas, earumque ſolutiones perlegere dignati ſint. His conſonant, quæ dicta ſunt in *Diſſertatione de Ratione Cognoſcendi*, Sect. xxii. ad xxx.

LXVII. Adverſarii Anti-Carteſiani opinio.

Quid contra Adverſarius? Errare certe, hac in Re Carteſium, Carteſianoſque omnes, cum Ipſe J. S. Voluit *Res ipſas cognitas*, non Earum Ideas ullas, in Mente revera exiſtere, Imo *Mentem* ipſam cognoſcendo, eaſdem revera fieri. Oppoſite ſcilicet ad Carteſium, Ejuſque ſequaces, & adducta in probationem

onem una illa, quam Ariſtoteli tribuit, ſententia, *Anima intelligendo fit omnia.* Cui Ego, ſatis eſſe quod Carteſius aſſeruit exiſtimans, Ipſum J. S. nunquam forté Vidiſſe, quem laudat *Ariſtotelis* textum, repoſui: Nec injuria quidem: Cum *Ariſtotelis* verba ſunt ἡ ψυχὴ τὰ ὄντα πως ἐστι πάντα. Quæ Latine redduntur, *Anima Entia quodammodo eſt omnia.* Quo item ſenſu notata ſunt in Diſſert. *Sect.* XXIX Id quod à me, Aliiſque forte monitus jam tandem agnoſcit, additâque explicatione ſatis accommoda, repetit his Verbis. "Cum dixerit quòd *Anima intelligendo fiat quodammodo* (ſeu modo ſpiritali ac cognoſcitivè) *Omnia*, nonnulli *Ariſtotelei* Definitionem iſtam ex multâ Reflectione collegerunt; nempe quòd *cognoſcere ſit eſſe aliud ut aliud. pag.* 95. Quæ autem eſt Authoris noſtri Poſitio correctior & emendatior? "Poſitio mea eſt hujuſmodi. Eadem *Natura*, ſeu Eadem *Res* quæ exiſtit extra Intellectum, *modo ſibi proprio*, etiam exiſtit *intra* Intellectum modo *Spirituali* ſeu Cognoſcitivo; vel (quod tantundem eſt) *per modum objecti. pag.* 115. Et poſt pauca: "Procedo in Explicatione Sententiæ illius, allegando Notionem *Rei*, ſeu *Entis* creati, ab omni prorſus Exiſtentia *abſtrahere*, nedum ab omni *Exiſtendi Modo*; ac proinde ad Corporeum & Spiritualem Exiſtendi Modos, eam omninò *Indifferentem* eſſe, ſed utrùmvis horum habere poſſe: Quod ab omni Contradictionis Umbrâ Theſin meam Liberat. Denique quò Phantaſiæ Objectionibus occurrerem, addidi in confeſſo eſſe,

quòd

quòd omnes Res Creatæ, interque alias *Corporeas*, Spirituales *existendi modum* habuisse, [lego habuerint] ab Æterno in Mente Divinâ, & tamen simul habere, [lego habeant] *alium* Existendi modum sibi *proprium*, postquam jam sunt creatæ, atque in Naturâ existunt. *pag.* 116. Verùm ni Res omnis eò tandem devenit, ut sit *extra Intellectum modo sibi proprio*, & *intra Intellectum* tantum per *modum objecti*, quid mali, quæso, fecerit *Cartesius*, cum id expressimis Verbis asseruerit, uti prius ostensum est? Quid mali, quæso, fecerim & Ipse, cum Eandem docuerim Doctrinam? Quorsum quindecim Argumentis illis suis, laboriosa temporis jactura adductis, pretiosi item temporis dispendio occurrerem, cum nec Ille ea nunc agnoscere, nedúm repetere dignatus est, sed concedit jam se illud solum velle, quod Ipsemet edocui? Habemus confitentem Reum: Asserit itaque *Sect.* 24. quòd *Idea non est Pura Rei Imago, simplex Pictura, Similitudo, aut quippiam aliud à Mente nostra effectum, sed Res ipsa concepta & Intellecta, per quam intellectionem Res dicuntur esse objectivè in Intellectu.* Hactenùs, si qua Fides *Verbis*, omninò meam Sententiam amplectitur: Nam mecum asserit *Notiones* seu *Ideam* esse *Ipsam Rem*, & non *Imaginem Rei*, & Voces istæ [*concepta & Intellecta*] exprimunt *Spiritualem* existendi *Modum*, quem *Res ipsa* in Intellectu habet, quod etiam verba illa *Sect.* 25. [*esse objectivè in Intellectu*] omninò resonant. Quæ omnia Thesi meæ examussim quadrant. Quin etiam, verbis proxime sequentibus, ea quæ jam dixit

xit, adſtruit. [*Quis enim*, inquit, *neſcit* Imaginem non eſſe *Ipſam Rem, nec eandem reverâ Exiſtentiam ac Vim habere*:] Nam voces iſtæ ponunt *eandem reverâ Eſſentiam* Rei *in Mente*, & *extra* Mentem eſſe. Hucúſque itáque Senſum meum, vix ullo Verbo, nedum Senſu mutato, omninò exhibet. *p.* 117. Nempe huc tandem deventum eſt, quod Ille Senſum meum non exhibet, ſed ego ſenſum ſuum exhibeo; Ergo dum ad Carteſium meáſque partes venit, dicit nos ad Ipſum accedere. Eſto. Mons aliàs immobilis ad Mahometem accedere dicendus eſt, dum ad Montem Mahometes accedit.

LXVIII. Quæ Ipſi etiam Anti-Carteſiano Fides.

Pergit autem: "At proh fidem Scriptoris Carteſiani! In verbis ſiquidem immediatè ſequentibus, ſcilicet [*Eſt interim Idea vice Rei, ut per illam cognoſcamus Rem, quaſi eſſet ipſa* Res] omnia quæ hactenùs conceſſerat, perinde ac ſi nihil horum dixiſſet, omninò revocat. *pag.* 117. Quaſi verò Idea, quæ eſt Res ipſa ſolùm quatenùs intra Intellectum, *per modum objecti* exiſtens, non ſit vice Rei, ſeu vicem gerat Rei, quæ extra Intellectum modo corporeo exiſtit. Quin Lectorem appellat: "Attendas, obſecro, Lector, & poſtquam verba *priora*, cum his nuper citatis contuleris, dicas ingenuè; Num poteſt *Ipſa Res Vices* ſui ipſius gerere? An poteſt *Ipſa Res* eſſe *quaſi-ipſa Res*? An Philoſophi eſt abuti vocibus nihil omninò ſignificantibus; vel Definitione Notionem, ſeu naturam *Definiti* (nempe *Ideæ*) ſtabilire & explicare; & mox *Eam evertere*, atque obſcuriſſimam reddere. *ibid.* Ergo vocibus abutuntur nihil

omninò ſignificantibus, qui in cauſa, cujus Ille ignarus non eſt, exemplo Principis, puta alicujus Senis, ſub ſpecie ſua juvenili, in Scenam producti, Aliquem uno modo revera exiſtentem, poſſe etiam Se alio modo, repræſentare, oſtendunt. Quin etiam Ipſe hîc exclamem, proh Fidem Scriptoris Anti-Carteſiani! Immò attendat; obſecro, Lector, & his perpenſis, dicat ingenuè cujus partes hîc aguntur, An *Philoſophi Chriſtiani*, an *Averrois* alicujus peripatetici reviviſcentis? In ſubſidium ejus vocatur Eloquentiæ R. Parens: "*Corpus*, inquit, *Cicero* de Nat. D. lib. 1. *Quid ſit, Sanguis quid ſit, intelligo; quaſi Corpus, quaſi Sanguis quid ſit, nullo prorſus modo intelligo*. pag. 118. Quin ſi de Re convenit, de Modo cur Lis intendatur? Ne dicam quàm incautè hîc adducuntur illa verba, quæ ſunt Cottæ ad C. Velleum, qui defendit Epicurum Deos ſuo modo Corporeos aſſerentem, quales penitus abominamur.

LXIX. Interimiſtæ ab Umbrisvocati.

Pergit autem quærendo: "Quis mortalium cum tali *Proteo* congredi, vel eum Argumentis *ſtringere* valeat, quin Rationum vincula excutiet & eludet? Quid, obſecro, ſibi vult vox illa [*interim*]? Quid *Res* quæ ſit *Vice Rei*, aut *quaſi Res*? Quot contradictiones quovis Fidei Myſterio longè inexplicatiores, intra paucularum linearum ſpatium compegerit? *pag.* 118. Ergo Proteum oportet eſſe, qui cum S. Patribus, & Scholaſticis loquitur, nec ab Eorum verbis aut ſenſu deviat. Ergo ſomniat vi ſua Magica *Interimiſtas* in Scenam hanc una vocula vocari

cari posse. Circulum descripsit, intra quem Confessionis ad Rogum damnandæ Manes assurgere vult, ut ipse Eos pro libitu suo, quantumque Ipsi magis vel minus placuerint (neque enim adhuc quid fecerit, certo constat) aut lacessat, aut vindicet. Ergo Contradictiones, longe ipsis quas in Fidei Mysteriis, falsò supponit, inexplicatiores hîc inveniet, aut faciet. Sine Adversario scilicet esse non potest.

LXX. Mediatio & Vicarius omnis ab Authore Terribili rejicitur

Pergit post pauca: "Quare inter *Scyllam* hanc & *Charybdin* iter tenere *Medium* cautus instituit: At malè accidit quod inter *Rem ipsam*, & *Aliud à Re*, quod ei *Vicarium* est; inter solam *Similitudinem* (quam negat) & *Identitatem*; inter *Eandem Essentiam*, & *Diversam*; inter *est ibi*, & *non est ibi*; nullum *Medium* magis interyenire potest, quàm inter *est*, & [*non est.*] Verbo *forbet*, & *flat* insimul; adeò ut ne Oedipo quidem ipsi, conjicere licet utra sit *Anterior* aut *Posterior* Jani istius bifrontis facies. *pag.* 118. Virtutem scilicet inter duo extrema apud Aristotelem collocari mentiuntur Aristotelici vulgares, ipsámque sic positam deridet Sanior iste Interpres. Nullum etiam Vicarium esse vult inter Dominum Ipsum, & ejus Effigiem Meram. Nullum Medium inter Rei alicujus Essentiam uno modo sumptam, ac Eandem diverso modo sumptam, inter est ibi uno modo, & non est ibi illo modo, nullum medium magis quam inter est, & non est: Cum tamen quæ *Aristoteli* ἀντικεῖσθαι dicuntur, *Ciceroni* contraria, Aliis opposita, pugnare oportet: pugnare autem dicuntur,

quæ

quæ neque de ſe invicem, neque de Eodem tertio ſecundùm Idem, ad Idem, eodem modo, atque tempore verè affirmari poſſunt. Quæ autem hæc Oppoſitio, ſiquis dixerit Ideam non eſſe Similitudinem aliquam meram, nec tamen Rem ipſam, niſi quatenùs objectivè, ſeu ad modum objecti, ſeu eodem modo quo objecta ibidem exiſtere ſolent, in mente exiſtit? Quæ Oppoſitio, ſi quis dixerit, unum idemque aliquod Corpus, eodem tempore alicubi præſens eſſe, & non ibi præſens eſſe, ſeu etiam Idem diverſis in Locis verè & realiter eſſe poſſe, diverſo modo ac reſpectu?

LXXI. Ideæ Carteſianæ reales ſunt non Chimæricæ.

Quoad Idearum *Realitatem* duplicem Eam ſtatuit *Carteſius*, unam *Formalem* ſcilicet ſeu propriam, quatenus eſt Mentis Operatio, Alteram *Objectivam*, quatenus eſt Res cogitata, ſeu Rei Cogitatæ Repræſentatio Quam Diſtinctionem veram eſſe agnovit Author noſter. Neque tamen Ipſi aliud placet, quam ut Chimærica ſit omnis Ideæ Carteſianæ Eſſentia: "Non eſt *ipſa Res*, ſed *quaſi Res*; hoc eſt *Chimæra*. Eſt *Repræſentatio* Rei; et *talis* Repræſentatio, quæ *non eſt Imago ſeu Similitudo* Ejus: Quod Novam & Secundam Chimæram nobis exhibet: Nam Repræſentatio quæ non eſt *ſimile* [lego: *ſimilis*] rei, Repræſentatæ quem ſenſum habere poteſt? Quod ſi dicat non eſſe *Puram Imaginem*, ſed pariter *Ipſam* rem; tunc cùm Res *repræſentans* et *repræſentata* relativè opponantur, *Tertium Chimæram* ex fœcundâ ſuâ Phantaſiâ D. *Le Grand* nobis impertitur. *pag.* 120. Ergo Chimæram nobis exhibent, et Phantaſtici

taſtici ſunt, qui Rem eandem Varios exiſtendi modos habere affirmant. Ergo Chimæram Nobis exhibent, & Phantaſtici ſunt Linguæ Latinæ Principes, apud quos repræſentare pretium rei emptæ, ſeu Pecuniam mercedemve repræſentare, eſt Pecuniam, Rémque ipſam præſentem exhibere. Ergo Chimæram Nobis exhibent, & Phantaſtici ſunt Legumlatores Antiqui, quibus in Romano Imperio uſitata eſt hæc Locutio: Sic in Lege ad *Creſcentium* Africæ Vicarium, exſtante apud *Theodoſianum Codicem*, Imperatores *Valentinianus* ac *Valens* Reorum in Judicio exhibitionem vocant *Repræſentationem*. Lib. 10. Tit. 4. C. 3. Et ad *Florum* prætorio præfectum ſcribunt *Gratianus* ac *Valentinianus* Secundus: *Decimas Fiſco, Decimas etiam Domino repræſentabit*. Lib. 19. c. 10. Et ad *Proculum* Africæ proconſulem magnus Conſtantinus: *Minime ab eo Repræſentatio poſtuletur Equorum. Equos ſolemnes repræſentabit*. Lib. 6. Tit. 35. C. 2. Plures ejuſmodi ſunt Leges. Sed & Chimæram etiam exhibet et Phantaſticus eſt *Tertullianus*, apud quem vox, Repræſento, nuſquam importat Significationem ſeu Figurationem, ſed ſemper Realem exhibitionem. Quin et Chimæram exhibet, et Phantaſticus eſt D. *Cyprianus*, apud quem, vocem iſtam nemo uſurpat pro ſignificatione, niſi Sermonum de Cardinalibus Chriſti Operibus Author, et hoc unum eſt fundamentorum ex quibus cenſemus Opus iſtud non eſſe *Cypriani*. Cum Cypriano loquitur *Auguſtinus* Serm. 140. C. 3. alibique frequenter. Plures hîc memorari poſſunt, qui per Repræſen-

ſentationem, manifeſtè intelligunt realem Exhibitionem. Quos tamen hâc in re damnat Author Terribilis, quod quidem ſerio perpendendum eſt, ſi non in Ipſo ſit temerarium omninò ac periculoſum.

De Diviſione Ideæ, ex ſuppoſitione ſua Erronea, quòd ejus Natura ac Definitio non conſtat, multa inepte garrit, à *pag.* 121, *ad* 123. quæ repetere ridiculum foret. Neque verò minùs ineptit in iis quæ habet de cauſâ Ideæ Productiva, à *pag.* 125. *ad* 147: Ubi ex ſuppoſitione etiam ſua quòd *Mens* ſit mera Potentia, ſeu Tabula raſa, multis oſtendere conatur, Eam non facultatem habere *Ideas* ex ſemet eliciendi, nec ad hoc faciendum à Motu in Nervos tanquam *Occaſione*, excitari. Quibus certè Nihil aliud reponi neceſſum eſt, quàm perpendendum proponere, Mentem, utpote Rem Cogitantem, ſeu potius Cogitationem ſenſu Carteſiano ipſam, actu ſemper cogitare; ex variis autem ejus Ideis, ſeu Cogitandi Modis, alios Innatos, modo quo priùs in *Diſſertatione* dixi, alios etiam Adventitios, Factitios alios eſſe. Nam quòd Mens noſtra cogitet, ab ipſius natura eſt; at quod talium Cogitationum formas in ſe habeat aliunde pendet. Quoad autem Occaſionem, qua Anima à Motu in Nervos ad Ideas eliciendas excitatur, ſciendum eſt, non Naturalem ſeu Neceſſariam Connexionem eſſe Vi naturæ ortam, inter Ideas ſeu Cogitandi Modos, ac Objecta, ſed ſola Dei Voluntate, ita connecti Animam ac Corpus, ut ex occaſione Specierum, quæ ex quacunque cauſa in Ce-

LXXI. Ideæ Carteſianæ unde Ortum ſuum habeant.

rebro formantur, Anima Ideas eliciat.

LXXIII. Beneplacitum Divinum rectiſſime a Carteſianis allegatur.

Quin multa etiam *pag.* 135. *ad* 142. contra Dei Beneplacitum urget, quaſi Philoſopho indigniſſimum ſit, ad illud confugere, quod pro ſolita ſua Urbanitate *evidentiſſimum* Carteſianorum *Ignorantiæ Indicium* appellat. Quaſi vero Philoſopho indignum ſit, Res ad Principia ſua eſſentialia reducere, eáſque prout à Cauſis ſuis Neceſſariis & immediatis pendent, conſiderare. Negari certe non poteſt, Ideas noſtras, ſive Senſationes, quas de Corporibus particularibus habemus, ab Animæ Noſtræ facultate paſſiva recipi, & à poteſtate ſuperiori, à qua regimur & illuminamur. Cùmque ut in *Inſtitutione Philoſophiæ* demonſtratum eſt, conſtet in poteſtate noſtra non eſſe, ut ſimus Res cogitantes, Id enim Privilegii ad Deum ſolum ſpectat, inde ſequitur ut ab externa Superioríque Irradiatione, ſive Illuminatione cognoſcentes ſimus. Irradiatio autem hujuſmodi à Corporibus Externis Nobis provenire non poteſt, neque ab iis, quæ nobis propria ſunt, quia impoſſibile eſt, ut Corpus ita Animæ uniatur, ut vi Naturæ in Illam agat, illámque illuminet, vel afficiat ſive modificet. Dicimus igitur, à Deo proficiſci, quod Motus, qui Nervorum Ope, ad Cerebrum transfertur, Animam ei intimè conjunctam diverſimodè afficiat. Dicimus quòd à ſolo Dei Beneplacito pendet, eo modo, quo à Beneplacito Humano oritur, quod Voces hæ, aut illæ, hoc aut illud ſignificant. Hac certè Aſſertione, Verum Luminis Noſtri Principium agnoſcimus, Falſáſque

ſaſque, Ideas illas omnes præſcindimus, quibus ab ineunte ætate aſſueti fuimus, imaginari nos Veluti Deos quoſdam eſſe, qui ex Nobis ipſis, Gaudio & Dolore afficimur, Rerúmque cæterarum Ideas ſeu perceptiones habeamus; Vel etiam omnia, quæ nos ambiunt, Corpora pro Diis eſſe habenda, à quibus illuminamur, & ad quorum præſentiam, Gaudio beati, & Dolore miſeri reddimur, ægrè ſcilicet ferendo, quod Deus omnia immediatè attingat, & Cogitationum Noſtrarum, ſicut & reliquarum Rerum Author habeatur.

LXXIV: Dei veri Ideam omnibus innatam eſſe.

Sed & hac in cauſa, quanquam priùs nõtatum, hic etiam obſervandum eſt, quam miſerè errat Ille, dum Dei Veri Ideam innatam, quaſi S. Patribus, ac totius Eccleſiæ Fidei minùs conſonam reiicit. *pag.* 187. Cùm tamen non S. Patres, utpote ſibi ignotos, nec Fidei articulos, ullos nominat, nec nominare potuit, quippe omnes omninò Homines, inſitam Eorum Mentibus habere Dei Notionem indubitatum ſit. *Signatum eſt ſuper nos*, ut habet Regius Pſaltes, *Lumen vultus tui Domine.* Pſal. 4. 7. Hinc Clemens Alexandrinus Paræn. ad Gentes, ait: *Omnibus, ut ſemel dicam, hominibus inſtillatus eſt quidam Divinus influxus; qua de cauſa vel inviti fatentur, unum eſſe Deum, ab interitu alienum, & ingenitum.* Et Baſilius in Pſal. 48. *Hominis vis ineſt, qua Creatorem ſuum & Opificem agnoſcere poſſit, & intelligere. Inſufflavit enim in faciem, hoc eſt partem aliquam gratiæ appoſuit homini, ut per hanc ſibi impreſſam ſimilitudinem, eum cui ſimilis eſt agnoſceret.*

noſceret. Et Damaſcenus, Lib. 1. de fide, cap. 1. *Haudquaquam nos deſeruit Deus, omnimoda ſui circumfuſos ignorantia; quin imò cunctis Cognitio, quòd Deus eſt, ab ipſo naturaliter inſita eſt, atque ingenita.* Neque tamen Ideam iſtam Dei innatam, veluti Characterem Corporeum Menti impreſſum, eique ſemper obverſantem imaginamur, cùm Mens ipſa non Corporea ſit, nec de Deo ſemper cogitat. Neque verò Luce adeò clara ac diſtincta ſemper ſplendeat Idea iſta, quin vanis cogitationibus obſcuretur, cùm non obſtante hoc lumine Gentes etiamſi non res imperfectas Deum Summum eſſe exiſtimaverint, craſſiſſimè tamen Errarunt. Unde Tertullianus Apologetici c. 17. & Cyprianus l. de Idolorum vanitate, exprobrant Ethnicis, quòd peccarent nolendo Deum agnoſcere, quem ignorare non poſſunt. Neque quidem rudem & indoctam ſolùm plebem, ſed & Sapientiores, quos dicunt, Paganos fœdiſſimè lapſos eſſe conſtat: Cùm Pythagoras, Socrates, Plato, Ariſtoteles, Epicurus, & Cicero, cum aliis iniquè de ſummo Numine ſenſerint, et Deos plures habuerint. Immò quis neſcit quòd Seneca ipſe Deos alienos, quos irriſerat, poſtmodùm adoraverit. Rem iſtam, ejuſque rationem apertè declarat S. Auguſtinus de Seneca, Lib. 6. c. 10. de Civit. Dei, ſic Scribens: *Sed iſte, quem Philoſophi quaſi liberum fecerunt, tamen quia illuſtris Populi Romani Senator erat, colebat quod reprehendebat, agebat quod arguebat, quod culpabat adorabat, quia videlicet Magnum aliquid Eum Philoſophia*

phia docuerat, ne Superſtitioſus eſſet in Mundo, ſed propter leges Civium, Moreſque Hominum non quidem ageret fingentem Scenicum in Theatro, ſed imitaretur in Templo, eo damnabilius, quod illa quæ mendaciter agebat, ſic ageret, ut Eum populus veraciter agere exiſtimaret. Quin et Lib. 10. c. 3. de Philoſophis etiam aliis ait: *Vel Populorum Erroribus Auctores fuiſſe, vel illis reſiſtere non auſos eſſe, veriſſimum eſt.* Neque tamen ignoremus, quòd Melchiſedecus, Jobus, aliique non pauci Gentiles, ac Pagani, in utroque Naturalis, et Scriptæ Legis Statu, Illi ſcilicet quibus Lex Moſaica non data eſt, compellente Veritate, Deum verum, cujus Ideam ſibi innatam habuerint, agnoverunt, immò Divina adjutrice gratia ſalvi ſunt. Quo modo enim Perſonarum non fuiſſet acceptor Deus, ſi non ex omni gente, quæ timet Deum, et facit Juſtitiam (quales non paucos Gentiles repertos ex Apoſtoli ſententia, Rom. 2. certum eſt) plures ævo ſempiterno donaſſet? Quod etiam Dei ſuadet miſeratio, cui haud convenire videtur, ut omnis Hominum Multitudo, extra Populum Judaicum, quæ ob Cœlum condita erat, rueret in Tartarum. Hoc inſinuat diligens Angelorum erga quemlibet Gentilium Cuſtodia: Quis enim credat, irritos omnium Angelorum, quibus cura horum demandata fuerat, cecidiſſe labores? Quin immò ex omnibus totius Univerſitatis Nationibus non paucos ad Dei cultum, æternámque pacem traduxiſſe Tutelares Sacerdotio fungentes Angelos docet Dionyſius Areopagita. Cæleſt. Hierar. c. 9. Quam Sen-

tentiam elucidans Dionyſius Carthuſianus, qui antea, D. Areopagitæ ſecutus Ordinem oſtenderat, unamquamque gentem habuiſſe Angelum Ordinis principatus rectorem, ait: *Angeli Sancti infimæ Hierarchiæ principantes ſecundum unamquamque gentem; id eſt, cuilibet plebi, ſeu homini ipſis commiſſo præſidentes, reduxerunt ſequaces, id eſt, Homines illis commiſſos, & ipſorum inſpirationem, ac illuminationem ſequentes converterunt ad Creatorem. Unde elicitur & probatur, quòd ante Salvatoris adventum multi Gentilium ad Deum converſi ſunt Angelico Miniſterio, ſive Humano, ſive ſolo interiori inſtinctu, & illuminatione interna, ſive etiam concurrente ſimul exteriori apparitione, atque effectu.* Sed & id intelligendum eſt, hoc non niſi merito Chriſti, reſpectúque ad ipſum habito fieri: Unde & Juſtinus Martyr, Apol. 2. ad Antoninum, omnes eos, qui ſolius naturalis legis jura cuſtodiſſent, Chriſtianos appellat, dicens: *Cujus*, Chriſti, *Omne hominum genus factum eſt particeps, & qui cum ratione vixerunt Chriſtiani ſunt.* Neque verò dubium eſt quin in viva Salvatoris fide, implicita ſaltem, Eorum ſalus fixa ſit, cùm unus omnium ſit Redemptor Jeſus Chriſtus, cujus unicum Nomen ſub Cœlo relinquebatur, in quo oporteret peccatores ſalvari. Quin & addam Chriſtum Regnum Cœlorum fidelibus aperuiſſe, neminémque æternam felicitatem aſſecutum eſſe, niſi poſtquàm Ipſe morte devicta ad æterni Patris dexteram reſedit. Quo certè fit ut non miremur ſi ſingularis Dei Notitia innata, qua non carebant

rebant Gentes, non ad Salutis viam assequendam sufficiens fuit, nec impedire potuit quin aliquando non nisi Dæmonia colerent; Immò inde Manifestum est, quàm Laus soli Christo debeatur, quòd non nisi ab ipso ad plenam Dei Veri Cognitionem perduci aut converti potuerint.

LXXV. Animæ Corporisque Distinctio stabilitur.

Septimus Error est, *Animam Humanam non esse Rem à Corpore distinctam*: *Quin etiam Illum, qui Distinctionem inter Animam & Corpus ponit, Differentiam inter Naturam & Suppositum nescire, sed & Christum solvere, adeoque Antichristum esse.* Præf. *Sect.* 32. Quid Ille? "Positio Cartesianorum, quòd Anima & Corpus in Homine sint *Duæ Res*, male quadrat cum Doctrinâ Christianâ de Incarnatione. *pag.* 38. Decretorie satis! Sed & Defensionem, quam paravi *Cartesii*, sic adortus est: "Tu eum defendis, eo quod Is non locutus sit de *Supposito*, sed de *Suppositi Partibus* separatim spectatis, hoc est de duabus in Homine Naturis *Ibid.* Locutus est *Cartesius* de Hominis, *Aristotelis* puta, Anima & Corpore, quibus duas Naturas, Spiritualem scilicet & Corpoream intelligere licet. Authorem autem Nostrum iisdem Naturam Divinam ac Humanam intelligere ostendunt hæc Ejus quæ sequuntur Verba: "Applicemus Dicta tua Christo, *Deo & Homini*; Cum eodem modo de Christo, ac de quovis alio *Homine*, hâc ex parte, si B. *Athanasio* credamus, discurrendum sit. *ibid.* Ergo hac in causa, nulla inter *Christum* Θεάνθρωπον, & *Aristotelem* ψιλὸν Ἄνθρωπον, Differentia ponenda est!

Non hoc docet B. *Athanasii* Symbolum, sed de Unitate θεανθρώπου dicit: *Sicut Anima rationalis & Caro unus est Homo, ita Deus & Homo, unus est Christus.* Paritas est quoad Unitatem hanc, cætera imparitas. Neque verò tam B. *Athanasio*, quam Ecclesiæ Catholicæ, dum Fidem illam profitemur, credimus. Quod ideò hîc monendum duxi, ne quis Verbis illis Authoris nostri, *si B. Athanasio credamus*, seductus, minus honorifice de Professione ista sentiat, præcipuè verò cùm non desint & Alii, qui Symbolum illud ab Athanasio compositum non fuisse, in eo deprehendi aiunt, tum quòd altum de eo, usque ad Sextum Seculum, fuerit Silentium, tum quòd infelices Nesto i Eutichetisque Hæreses, longo post Athanasium tempore, quinquaginta plus minùs annorum, exortas damnat. Verum istud tamen non æquè admittam, cùm Argumentum negativum nullius hac in causa sit ponderis, quippe quòd Symbolum illud in Romanæ Ecclesiæ amplissimo Archivo longo tempore inter Ecclesiastica Monumenta delitescere potuit; Quin & licet Nestorii & Eutychetis Errores Professione illa profligati sint, constat & alios tamen fuisse antiquiores hæreticos, Marcelli & Photini Discipulos, ac Appollinarem cum aliis, qui etiam dogmata in Symbolo proposita impugnarunt, adeóque illis Athanasium istam suam Sententiam opponere commodè potuisse. Quærit autem: "Quomodò obsecro, de *Suppositi Partibus* loqui potuit Cartesius, vel tu etiam,

cùm

cùm Suppoſitum hîc ſit *Divinum*, nec; proinde *Ullas Partes* habeat? *pag.* 39. Si de *Chriſto* quidem loquamur, Suppoſitum eſt Divinum; ſin de *Ariſtotele*, Humanum eſt. Neque verò Symbolum illud prohibet quin dicamus, quòd *Chriſtus* ex Naturâ Divina ac Humana, prout Ariſtoteles ex Anima & Corpore, tanquam ex partibus conſtet. "Tu, ſi Articulus iſte, tibi explicandus erat, videris exiſtimare Suppoſitum ſeu Perſonam Chriſti coaleſcere quaſi ex *Duabus Naturis*, tanquam ſui *Partibus*. Cave ſis, mi Amice, ne, dum ſic cogitas, *confundas* Naturam Divinam & Humanam in Unum quaſi Mixtum ſeu *Compoſitum*, quod *Suppoſitum* appellas: *ibid.* Non dico Chriſti Suppoſitum ſeu Perſonam coaleſcere, ſed conſtare ex duabus illis Naturis. Neque verò confundo Naturam Divinam & Humanam, nedum in Unum Mixtum; ſed duas illas Naturas conſtituere dico Unum Compoſitum, quod etiam Suppoſitum intelligens appello. *Coaleſcere* ſiquidem & *Miſceri* locum habent ſolum in rebus merè Corporeis; *conſtare* autem ac *conſtituere*, ſeu componere, Rebus Corporeis & Spiritualibus attribui poſſunt: "Monendus es *Suppoſiti* Rationem *aliam* eſſe à Ratione *Naturæ*; quas niſi cautè diſtinguas, vix de Incarnatione ſatis ſanè loqui poteris. *ib.* Suppoſitum ac Perſonam à Natura diſtinguo. Nec tamen neſcio, quod Perſonam Humanam in Chriſto aſſeruit S. *Leo* in Sermone 3. c. 2. de Epiphania. *Magi adoraturi Unum, tria ſe ſimul credidiſſe demonſtrant: Auro honorantes Per-*

ſonam

ſonam Regiam, Myrrha Humanam, Thure Divinam. Accipit vocem pro vario ejuſdem Perſonæ ſtatu & qualitate, quomodo etiam à Sanctis *Baſilio* & *Gregorio Nazianzeno* accipi conſtat. Quanquam & addam Acceptionem iſtam poſteà evaſiſſe ſuſpectam & offenſivam, quòd Tritheitæ illa abuterentur. Unde & Nos hodiè non ita loquimur.

LXXVI. Ut Voces, Ens, Res, & Subſtantia variè ſumantur.

Pergit: " Verbo *Ens*, *Res*, & *Subſtantia*, Scholis, ut & mihi, idem ſonant; & ſi *Numericè* ſumantur, pro Individuis, *Suppoſita* vocantur, & in Rebus intelligentiâ prædictis, *Perſonæ. pag.* 39. Quæ hæc ſive Ignorantia, ſive Oblivio! Quæ Errorum ac Abſurditatum colluvies! *Ens* alibi apud Illum, non aliud eſt, quàm Id quod capax eſt Exiſtendi, ſeu quod *poteſt* exiſtere, hic autem cum Subſtantia confunditur, Eámque idem omninò cum Ipſo ſonare dicit. Ergo *Subſtantia* omnis, ſive Infinita, ſive finita, non aliud eſt, quam id quod *Capax* eſt *Exiſtendi*, ſeu Id quod *poteſt* exiſtere; nec *actu* unquam, ſed ſemper Potentia ſolum exiſtere, ſeu *Capacitatem* ſolum *Exiſtendi* habere propriè dicendum eſt. Sed & neſcit certè, aut oblitus eſt, quòd *Ens* in Scholis prædicatur de *Accidente*, quod ibi non *Subſtantia* dicitur, ſed Ens Subſtantiæ inhærens. Neſcit quod vox *Subſtantia* reſpondet voci Græcæ, *Hypoſtaſis*, de quâ Lis longa inter Orthodoxos, videnda in Actis Synodi Alexandrinæ, Epiſtola S. Hieronymi ad Damaſum Pontificem, Epiſtola S. Baſilii ad Fratrem ſuum Gregorium Nyſſenum Epiſcopum,

Pro-

Professione Eustatii Sebastenis, ac apud S. Gregorium in Encomio S. Athanasii, ubi de Voce dicta loquens hæc habet Verba : *Eò tandem Res adducta est, ut periculum esset, ne Orbis Terrarum fines unà cum Syllabis à se invicem distraherentur & abrumperentur.* Synodus Nicena, dum Filium definit esse, non ex aliena, sed ex Patris *Ousia* seu *Hypostasi*, videtur utramque Vocem Sensu eodem accepisse. Quin & S. Basilius in Literis ad Fratrem suum supra laudatum, fatetur vocem, *Hypostasis*, non pro Persona sumi ab Apostolo in Epistola ad Hebræos. Certè Vulgata Versio id ipsum censet, transferens : *Qui cum sit Figura,* τῆς ὑποστάσεως, *Substantiæ ejus.* S. Athanasius variis in locis ita sumit. In quinta Oratione contra Arianos, ac in Literis ad *Liberium* Papam, disertè ait Patris & Filii esse Unam οὐσίαν, Unam ὑπόστασιν. Et in Literis ad Episcopos Africanos : ὑπόστασιν οὐσίαν εἶναι. Et quidem quòd Misera illa inter Orthodoxas Ecclesias de voce, *Hypostasis*, contentio Ortum duxerit, ex eo quòd quidam οὐσίαν & ὑπόστασιν confunderent, quidam distinguerent; Nemo præter Authorem Nostrum Terribilem ignorat. Deinde Inconstans etiam sibi est Author iste. Nam *Ens, Rem,* & *Substantiam*, in Re intelligentia prædita, non Suppositum, sed Personam dici debere docet, & tamen ex eo, quòd Anima & Corpus dicantur duæ Res, duo *Supposita* dici ostendit, cùm Anima utpote Res intelligens, non Suppositum, sed Persona, secundùm Illum dici debeat. Sed & ludit etiam in

voce,

voce, *Individuum*, quæ de Parte, vel de Toto dici poteſt. Rei autem alicujus non partem individuam, ſed Rem totam Individuam, eámque Intelligentem, *Perſonam* dicimus: Neque verò *Suppoſitum* aliquod, ſeu *Res*, aut *Ens* dicendum, niſi quatenus in ſe ſimpliciter conſideretur. Neque quidem abſurdum eſt, ſi hoc Senſu dicamus Hominem aliquem, non ex duabus quidem Perſonis, ſed ex duobus Suppoſitis, Rebus ſcilicet diſtinctis conſtare, quatenus ejus Anima & Corpus ſeparatim conſiderentur.

LXXVII. Errores Varii ex neglectu Diſtinctionis inter Animam & Corpus exorti.

Pergit: "Qui itaque *duas Res* ponit in *Homine*, eo quòd *duas Naturas* habeat, *duo* quoque *Suppoſita* in Humanitate *Chriſti* (qui verus erat *Homo*) ponere debet; eò quòd *Numerica Res* (ut dictum eſt) *Suppoſitum* ſit. Et, cum in confeſſo ſit, *Suppoſitum* etiam *Divinum* Chriſto competere, *Tria* profectò *Suppoſita*, ſeu *Trinitatem* quandam *Suppoſitorum* in uno Chriſto cogentur ponere *Carteſiani*; quod novum atque inauditum eſt in Eccleſiâ Chriſtianâ: Neque effugere ipſis ab iſtâ Conſequentiâ licet, quamdiu ubicunque eſt *diſtincta Natura*, ibi quoque diſtinctam eſſe *Rem* ſuſtinent. *pag.* 39. Verùm his aliiſque ſuis hac in re Cavillationibus omnibus ſatisfactum eſt, tum ex ſupra modò dictis, tum ex *Præfatione* mea, *Sect.* 17. Nec aliud hic reſtat, quàm cum Aliis notare, quomodo ex Diſtinctionis, quam nemo *Carteſio* melius obſervavit, inter Animam & Corpus Neglectu, multæ Hæreſes, & Errores paſſim in Theologia ſunt exorti. Hujus ſiquidem

Di-

Distinctionis neglectus causa fuit, Quare Audiani, & Anthropomorphitæ Deo Corpus adscripserint, & quare Deus ipse ab Atheis negatus fuerit; quod putarent, nihil nisi Corporeum existere, & quod in Sensus nostros incurrit. Hæc causa fuit, ut Dei Infinitas non conciperetur, nisi per modum alicujus Diffusionis,, hoc est, Extensionis certa quadam ratione modificatæ; ut Deo multiplex tribueretur compositio; ut Mens nostra crederetur esse particula Divinæ auræ, sive Essentiæ. Ut Deus visibilis putaretur, saltem Beatorum oculis, eo quòd tanquam tenuis quædam, hoc est, Corporea Substantia conciperetur; Ut Deo assignarentur Affectus Humani. Ex hac neglecta Distinctione, ortum suum habuit Eutychianismus, quo confunditur Natura in Christo Divina, cum ejus Natura Humana. Exinde ortus est tradux tum Seminalis ille crassior, tum subtilior ille Spiritualis, dictus, juxta quem Anima Filii à Parentum Anima accendatur, tanquam Lumen à lumine. Hinc etiam Animarum post mortem Somnus, & Animæ Mortalitas, Similésque Alii Errores, quos facilè cuilibet observare licet, ac vitare, ubi ad Distinctionem istam attenderit.

LXXVIII Erratum est graviter, cum afferitur Impressiones varias esse, pro varia objectorum natura, seu Essentia.

Octavus Error est, *Impressiones in Sensibus factas, Varias semper esse, secundùm Variam Objectorum Naturam, seu Essentiam.* Præf. *Sect.* 37. Quid Ille? "Tune, mi Amice, Philosophus haberi vis, qui Id carpis, quod toti Humano Generi notissimum est? *p.* 47, Habemus confitentem Reum, sed & totum Genus

Genus Humanum falsò delatum: Cùm tamen certissimum sit, Sensum ab objecti *Superficie*, non ab ejus Natura, seu Essentia affici. Immò variis Exemplis ostendi, eandem aliquando Impressionem, eámque à remanente Superficie sensibili fieri, post mutatam Corporis, cujus Superficies est, Naturam seu Essentiam. "Quid quod si istud non admittis, Unde *differentes* Ideas elicit Mens tua, præterquam à Differentibus Motuum Impressionibus ab objecto causatis? *Ibid.* Immo Sole clarius est, Differentes aliquando Ideas, aliunde quàm à Differentibus Impressionibus ab objecto causatis elici. Ut quando ex una eadémque Impressione ab objecto singulari causata, plures Ideæ, Eæque distinctæ excitantur, ac quando nullo objecto sensibili causante, Ideæ vel ab Agente Spirituali, vel à Spiritibus Animalibus in Cerebro Hospitantibus, vel etiam ex Mente ipsa sola fiunt. Postea autem: "Etiam consequentias pro me facis: Nempe *inde sequi quòd Corporis, cujuscunque Naturam seu Essentiam*, [lego: *Naturæ* seu *Essentia*] (*quam*, inquis, *ejus Substantiam vocas*) *ex Impressionibus in Sensibus factis discerni semper deberi*, [lego: *debeat*.] Ubi legis, obsecro, me absolute dicere, hoc *semper* heri, in Circumstantiis etiam maximè incommodis? Immò ubi legis quod asseram nos *Ullam* omnino de *Substantia* Notionem habere, nisi ex aliquo *Rationis* interventu? Denique, quo in loco *legisti* me *Naturam*, seu *Essentiam* vocare *Substantiam*? *p.* 48. Quæsito *Primo* satis fiat ex eo, quòd nec in locis in

Præ-

Præfatione, *Sect.* 37. citatis, nec alibi unquam in *Libris* integris citatis, nec in hoc *Responso* suo, *Exceptionem* aliquam fecerit. *Secundo*, ex eo, quod Notiones suas omnes a *Sensibus* petendas esse palam docet. *Tertio*, tum ex locis *Sect.* 37. citatis, tum in *Præf. Sol. Phil.* Sect. 25. Neque refert si alibi sibimet ipsi hac in re, ut in Aliis Multis, contradixerit. Pergit: " Certe contrarium huic videre potuisti in *Præliminario* meo Quinto, ubi vocum illarum significationes exacte distinguo; & ostendo [Naturam] seu [*Essentiam*] sonare, *qua* Res est id quod est; *Substantiam* vero, *Id quod est*, seu *Rem* ipsam, quæ *per se*, seu sine ope alterius existit & subsistit, & Naturam, seu Essentiam *habet in se*, modisque præstat ut *sint*. *ibid.* Non video. Confusio & obscuritas est, quam Distinctionem exactam haberi cupit; ne hîc memorem quam modo *Ens*, *Rem* & *Substantiam* idem sonare dixerit. Sed & ab uno Errore in alium hîc transit, cum *Substantia* nulla creata *per se*, seu sine alterius ope existit, vel subsistit. Quanto melius in Cartesianorum partes transisset, qui docent, quod Substantia quæ *per se* existit, nullaque planè re indigeat ad existendum, unica tantum potest intelligi, nempe Deus. Alias omnes non nisi ope concursus Dei existere posse percipimus. Verum hæc mitto. Si Corporis alicujus Essentia in *Accidentium* Complexione consistat, uti & Ille affirmat. *pag.* 49. alibique; Eáque omnia Accidentia cum Substantia *Identificentur*, quemadmodum itidem asserit, *Meth. pag.* 36. *Sect.* 1. alibique; clarum

rum est, Corporis uti *Essentiam*, ita & *Substantiam* ex Impressionibus in Sensibus factis discerni semper *secundùm Illum*, deberi. Quod tamen falsissimum esse Exemplis nonnullis ostensum est.

LXXIX. Bellarminus ab Authore nostro Terribili rejicitur.

Quin *Bellarminum* hac in causa laudavi. Celat Ille, nec ulla mentione dignum censet. Immo eo forte nomine *Exempla* displiceant: " Priora contendunt Sensu non discerni *semper* Substantias: Et ego dico, *Nunquam. pag.* 48: Quid audio? *Ens*, *Res* & *Substantia*, Ipsi, quod prius notatum est, idem sonant. Ergo si nulla Substantia; nullum certe *Ens*, nulla *Res* Sensu discerni *unquam* potest. Verum Mens forte ejus nunc sit, *Res Nullæ*, Sensu unquam *solo* discerni posse. Ergo & Sibi & Aliis falsus est, si Cognitionem omnem, Rerum Corporearum saltem, non Ideis, sed *Sensibus* deberi dixerit. Abeat jam Bellarminus cum Exemplis Prioribus. " Ad posteriora [lego: posterius] de Petrefacto Ligno, aio, nullâ ratione constare, quin Particulæ unius Corporis, Particulis alterius intertextæ sint; licet inter illas, præ partium exiguitate distinguere, oculi acies haudquaquam valeat: *Ibid.* Bellarmine Rationis expers es, mentiris: Ligni fragmentum, non conversum fuit in Lapidem; Lignum mutatum, non Verus Lapis fuit: Sed particulæ quædam, nescio quæ, modo aliquo, nescio quo, id omne præstiterunt. Tanti est Bellarminum confutare. Tanti Mutationem omnem Substantialem, ubi Species remaneant, ex Rerum Natura amovere.

Per-

Pergit: "Ultimum, quod prætendit *Acum Chalybeam Magnete tactam*, ſtatim *Magnetem Verum* fieri, non probatur, nec probabile eſt, ſed ſtolidum & ridiculum. *pag.* 49. Vim forte ponit in Voce, *Statim*, ne Mutationem Subitaneam in Rebus Naturalibus admittat. Verum ſi Chalybem *tactu* Magnetis in Magnetem converti conſtiterit, Mutationem iſtam *Statim* fieri conſtabit. Non autem probatur, nec probabile eſt? Immo probationem ejus pluſquam probabilem, eamque à Magnetis natura vera & eſſentiali petitam dedi. Quid enim? Si eadem ſit Corporum omnium materia, nec ulla ex iis reperiatur *Differentia*, niſi quæ in partium Eorum diſpoſitione conſiſtat; Id quod *Carteſius* demonſtrat, Ipſéque etiam in Scriptis variis, *Appendice* ſpeciatim, de Mutatione Formali, ſatis oſtendi: Si Magnetis Natura, in ſola illa partium *Diſpoſitione* conſiſtat, qua ad Particulas Striatas admittendas adaptatur; Id quod non minus in *Acu Chalybea*, quam in *Magnete* certum; Utrumque autem ex *Carteſii Demonſtrationibus* eſt certiſſimum: Sequitur certò, *Acum Chalybeam* tactu Magnetico *Naturam Magneticam* acquirere, proindeque *Magnetem* verum fieri. Immo addam, illud *ſtatim* fieri: Cum *Acum Chalybeam* Magnete tactam, Naturam illam magneticam ipſo facto acquirere conſtet. De Superficie remanente dubitari non poteſt; Cum poſt Mutationem iſtam, eadem omnino Impreſſio ac priùs, ab Objecto fiat.

LXXX. Exemplum Magneticum Firmatur.

LXXXI. Concessio memorabilis.

Pergit: "Communicari Acui *Virtutem* Magneticam, ex particularium admixione facilè concedo; at quod *Externus Contactus* Internam Rei quam tangit *Essentiam* seu constitutionem, *Penitùs*, idque in momento, tollat atque immutet, est perquàm absurdum atque ridiculum. *pag.* 49. Quin & huic sive Objectioni, sive Cavillationi occurri non solùm in *Præfatione* Sect. 37. Sed & in *Appendice* suprà citata Sect. 16. fusè autem Sect. 32. Quibus ille nihil reposuit, sed Rationis vi Victus inter *Curiositates*, quas vocat, enumerat, quæ non Ipsi, sed Ingeniosis, quibus Mens sanior est, reservantur.

LXXXII. Nihil mali est, si Mutatio substantialis, remanente Specie, reperiatur.

Exempla reliqua, quæ videre est in *Dissertatione* Sect. 74. cùm nihil habuerit Ille, quod in contrarium comminisci potuit, Tacitus omittit: Et Sapientior certe esset, si in cæteris etiam omnino siluisset. Quid mali est, si Mutatio Substantialis, ubi Species sensibiles remaneant, in rerum natura reperiatur? Sin Ejusmodi Mutationem non rejiciat, det exempla meliora, aut his mecum utatur. Quod post pauca. p. 49. habet, de interventu Rationis, colligentis, ex eo quod juxta Modum aliquem afficiamur, necesse esse, ut sit *Res* aliqua seu *Substantia*, à qua afficimur, & ad quam spectat *Modus* ille, non facile admitti potest: Cùm non sit *Substantia* ipsa, sed ejus Superficies, à qua afficimur; nec dum in casu Acus Chalybeæ, in Magnetem Versæ, determinatum sit, an *Modus*, seu Superficies remanens post Mutationem, ad *Acum Chalybeam*, an ad Magnetem spectet.

Vos

Vox, *remanens*, modum istum, ad priorem potiùs refert.

LXXXVII Gravis de Animarum Hominum que Differentia Essentiali Error notatur.

Nonus Error est, *Animas Humanas non esse inter se Æquales, sed Essentialiter, pro Ratione Corporum, differre; Ut & Homines ipsos omnes tota Specie seu Essentia differentes esse.* Præf. *Sect.* 38. Quid Ille? "Objicis iterum, quod *Animas Humanas esse inæquales* asseram, & *Paradoxum* appellas. *pag.* 49. Objicio quidem, & video nunc, quod nihil non absurdum ab Illo expectari debuit. Novum autem istud non esse notavi: Cùm id Honoris non Illi deberi, sed *Ramo* potiùs, cui, deserto hac in re, Aristotele, turpiter accedit. Quin & illud ostendi, quòd si verum id esset, *Animas Humanas non esse inter se æquales*, ut & *Homines non Numero, sed specie differre*, futilibus tamen Argumentis id ab Illo assertum est. " Pergis sententiam meam proponendo; *Platonem*, (inquis) *cum cæteris* (scilicet *Petro, Paulo*, &c.) *non Individua esse, sed Species essentialiter differentes* contendit. *Ibid.* Quid porro? Multa Animi Emotione furit, convitiis insectatur, Negat: " Usque adeò verecundiæ valedixisti, mi Amice, ut vix quicquam veri de me loquaris. Vel unum Verbum afferto, in quo dixerim hujusmodi Substantias primas, seu *Individua* esse *Species*, vel te Falsarium apertum manifestabis: Nihil hujusmodi inveniam, sed tantum quod inter Speciem illam, quæ vulgo habetur *Ultima* & *Individua*, intervenire possint aliæ *Species Intermediæ*; sed quod *Individua* illa *Species* sint, ne Verbum quidem. *pag.* 50. Quid, quæso, sibi vult

Ille? Inter *Hominem*, Speciem ultimam, & *Petrum* & *Paulum*, Individua, dari poſſunt *Species Intermediæ*. Ridiculum hoc eſt: cum *Homo*, Species, nullibi niſi in *Petro*, cæteriſqve Individuis reperiatur. Quin & non dixi, nec volui Illum aſſerere *Subſtantias* primas, ſeu Individua eſſe Species, ſed *Species* eſſe, quæ vulgo habentur *Individua*.

LXXXIV. An Ratiocinalitas ſit Eſſentia Hominis.

Poſt pauca pergit: "Quod ad rem ipſam attinet; Num negabis *Rationalitatem* eſſe *Eſſentiam Hominis*? Non arbitror; Num dices, *magis & minus Rationalis*, non conſtituere *Intrinſecas* Differentias Rationalitatis? *pag.* 50. Dixi cum Logicis Ariſtotelicis *magis & minus non variare ſpecies*. An *Rationalitas* autem ſit Hominis Eſſentia, non dixi. Quanquam id illum negare oportet, niſi fortean Homines in Vita futura Eſſentiam hanc Humanam abdicaturos exiſtimat; cùm mox doceat, "quòd *in alterâ vitâ*, nullum Ratiocinii opus fore, [lego: foret,] Eò quòd Actus Mentis in Statu Æviternitatis, inſtantanei & non ſucceſſivi ſint in Animabus Separatis, etiam *omnibus*; ſpeciatim in iis, quæ Sanctæ ſunt; eò quód perpetua Summi Entis *Contemplatione* ſeu *Intuitione* perfruuntur, neque ambagibus Diſcurrendi Veritatis Eſſentialis Cognitionem inveſtigant. *ibid.* Quin ſi in ſtatu altero Homines Ratiocinio privandi ſint, clarum eſt Id Humanam Naturam non conſtituere, aut Ipſos tum Homines non amplius futuros eſſe.

LXXXV. An dentur Homines Specie differentes.

Quæſo autem, ubi *Species Humana* exiſtat, ſi non in Petro, Paulo, cæteriſque illis Individuis? Ubi ſunt Singularia ſeu *Indivi-*

dua

dua illa ſua Humanà Imaginaria, inter *Speciem* illam ſuam Humanam imaginariam, & Petrum, cæteráque illa individua Laudanda? Hominem, quem ſæpius procul dubio vidit, *Lunarem*, in *Luna* ſcilicet Hoſpitantem, reliquoſque Ejus, quos imaginatur, Conſanguineos non dubito quin intelligat. Quin & ne neſciat, poſt Cardinalem *Cuſanum*, *Brunum*, *Keplerum*, alióſque clariſſimus *Hugenius*, eò quòd Operum Dei Magna pars extra Conſpectum Hominum ſit poſita, neque ad eos pertinere videtur, haud alienum opinatus eſt, aliquos extare qui illa propriùs aſpiciant & admirentur; præcipuè verò quòd Nimia Terræ noſtræ præ Cæteris Planetis eſſet præſtantia ac nobilitas, ſi ſola animal haberet tam longè cæteris omnibus animalibus, nedum Stirpibus præcellens: Unde & Varios Homines in cæteris Planetis degentes deſcripſit, quos ſi non Lunæ Influentiis totus deditus, adire illi placeat. Hoc Unum autem quærendum eſt, utrum Homines iſti *Planetarii* ſint *Species intermediæ* inter *Speciem*, quæ vulgo habetur *Ultima*, & *Individua* Illa, quæ Petrus, Paulus, *&c.* audiunt. Contendent forte Aliqui ex planetariis iſtis Alios, eſſe ſupra *Speciem* illam *Ultimam*, Alios etiam Species, ſaltem Individua eſſe infra Petrum, Paulum, & cæteros. Quin ſi Obſervationes iſtæ Aſtronomicæ Ejus captui non reſpondeant, *Theologum* qualem qualem, ſe oſtendat velim, dicátque, obſecro, ſi *Præadamitas* fortè ſuſtineat. Quippe inter Speciem Humanam, vulgo *Ultimam* habitam, & Pe-

trum ac Paulum, &c. non ullos invenire licet, qui ex *Adami* lumbis orti sunt. Neque vero probatum unquam dederit, *Præadamitas*, si qui fuerint, ab *Adamo*, ejúsque Posteris essentialiter differentes fuisse. D. *Augustinum*, *Lactantium*, Aliósque, *Antipodes* ex præjudiciis negasse etiam à me notatum est. Sed non Eos etiam præjudiciis istis eò magis mordicus inhærere negem, ne *Homines* quidam esse existimentur, qui ab Adamo non descenderunt; Homines, pro quibus *Christus* non Mortem subiit, Quique aliunde, quam ab ipso Salutem Æternam peterent. Verum de his non omnino sollicitus Ille, *Philosophiam Paradoxicam* instituit, *Theologiam* fortè non minus *inauditam* editurus.

LXXXVI. Animarum Corporumque Nobilitas non diversas constituit Species Humanas.

Quin nondum Illi satis est, quod dixerim aliqualem esse, tum in Anima, tum in Corpore Humano, ad propriam Unionem, Dispositionem. Id parum est, licet ad Resurrectionem, quam Ille negligit, explicandam inserviens: Differentiam Essentialem in ipsa *Rationalitatis* potentia agnoscere oportet; cùm "D. *Aquinas* 1, q. 85. 7. c. ait, *Diversitatem in Nobilitate Animarum sequi ex Nobilitate Corporum*; Scilicet *in hoc statu*, Pag. 52. Quin D. *Aquinas Resp. ad* 3^m dicit quod Differentia formæ quæ non provenit nisi ex diversa dispositione materiæ, non facit diversitatem secundùm Speciem, sed solùm secundum Numerum. Quæso autem, an serio Vult D. *Aquinatem* Velle hanc Corporum Animarumque *Nobilitatem* diversam constituere Speciem Humanam?

manam? Egregius quidem fiat Viris Nobilibus Assentator, qui tam facile, tantaque Authoritate probare potest, Eos à reliquis Hominibus tota specie differre: Sed & Ea, suppono, lege, ut Ipsemet Ille Unam etiam constituat, Sibique soli reservet Speciem. Neque enim Novi quippiam est, quod Species in uno Individuo conservari possit, Isque forsan Ille est, qui se Phœnicem hac in causa somniat.

Pergit etiam post pauca: " Miraberis forsan, mi Amice, si aliud Paradoxum tibi proponam, quod *prius* istud de Inæqualitate Animarum ultra omnem comparationem excedit. Nempe, quòd Impossibile sit, ut aliquæ *duæ rationes*, sub ullo communi Genere vel Specie constitutæ, seu aliquæ *duæ Res*, participent *æqualiter* Genus vel Speciem suam; ac proinde necesse esse, [lego: quòd necesse sit,] ut *omnia* omnino in Universo, sive sint *Res*, sive *Modi Rei*, sint *Inæqualia*. pag. 53. Ergo ex Scholis jam exulat Differentia Numerica, qua solo numero distinguuntur Individua Ejusdem Speciei. Ergo *Deo*, cujus Potentiæ tam multa obedire non vult Ille, Impossibile est efficere, ut duæ aliquæ Rationes, seu *Duæ Res*, Genus vel Speciem suam æqualiter participent, hoc est, ut Petrus & Paulus sint æquè Animalia, aut æquè Homines. Ergo *Deo* impossibile est efficere, ut non omnia, sive sint Res, sive Modi Rei, ne quidem ut non Duo Ova, Eorúmve Accidentia Modalia, essentialiter sint Inæqualia. Cum tamen Dei Omnipotentiam

LXXXVII Paradoxum Novum Prius longe superans.

conſideranti, facile appareat, quòd non ulla Ratio, nec ulla prorſus Res creata, ejúlve Modificatio reperiatur, quæ à Deo non pendeat, Ejúſque Voluntati Eſſentiam ſuam debeat.

LXXXVIII. Authoris Terribilis Philautia notatur.

Decimum, qui enumeratur, Errrorem, Eum ſcilicet *de Mutatione omni gradatim facta*, ex Appendice petitum, cum Author terribilis Rationibus meis convictus, jam tandem Vindicare, ſe non poſſe fatetur, pag. 266. hîc lubens mittam. Sequantur *Notationes* variæ, quas etiam Præfatio illa mea exhibet. Ubi illud imprimis, quoad *Ideiſtarum Improperium Carteſianis Aliiſque impoſitum*, quippe quòd ex ipſo Philoſophiæ ſuæ ſolidæ Titulo, alibique paſſim pateat, non Negat Ille; Sibi ſcilicet, Amicíſque ſuis licere exiſtimans, ut Quoſcunque, Titulis quibuſcunque malè, ut habet pag. ult. ſonantibus onerent: Verùm ſi Ipſius *Philautia, Futilitas, Falſitáſque in propriis laudibus notentur*, ægrè certè ferat; cùm tamen hæc omnis Notatio, uti priùs Præf. *Sect.* 27. 34, 35. &c. ita in hoc ſuo *Reſponſo* terribili, abundè conſtet, nullibi autem clariùs quàm Verbis illis, quibus in paginis 10, & 11. Se "Hominem eſſe jactat jam pænè Octogenarium, cui (miro Dei beneficio) Memoria, Phantaſia ac Judicium æque vigeant, ac ſi non niſi Quadragenarius eſſet: Qui Logicam, abhinc quadraginta ſex annis publicè docuit; Qui dum Junior erat, Magiſtros magni nominis, imò nonnullos vel *Carteſio* longè doctiores habuit: Qui, poſt id tempus, non ſemel Diſcipulos

acu-

acumine, [lego: discipulos qui acumine] ingenii & Judicii Maturitate, vel Rabula suo multis parasangis superiores erant: Qui à Juventute sua cum doctissimis omni Eruditionis genere Viris, tum Nostratibus, tum Exteris, versatus est, & amicitiam cum iis coluit.

LXXXIX. Et in superbis Librorum suorum Titulis Vanitas.

Quæ Scriptoris istius *in superbis Librorum suorum Titulis Vanitas* est, dum Alterum *Methodum Sciendi*, quæ tamen Methodi sivè Syntheticæ, sivè Analyticæ nullam habet mentionem: Alterum vero *Solidam Philosophiam*, quæ futili Principio suo *de Rebus in Mente existentibus*, innititur, satis Ostensum est, Præf. *Sect.* 28. Nec minùs clarè etiam in hoc Responso suo terribili, Ubi quo Objectionem meam quoad Instantiam priorem firmiorem reddat; Nec *Unum Verbulum* quidem de *Methodo* ibi reperiri addit. *pag.* 23. Quoad auem Instantiam alteram, tantum abest à retractando, ut ipsam etiam *pag.* 98. alibique, tanquam quid *Verum* atque *demonstrabile* audacter, sed & ridiculè satis proponat.

XC. Qualem Academicis Honorem defert

Quin quo honore Scriptor iste *Academicos Utriusque* Studentes Doctissimos dignatus est, satis pateat, Præf. *Sect.* 29. Nec minùs itidem evidenter hoc in Responso suo, tum in *Præfatione* utraque ad Eruditissimos Viros illos Directa; tum etiam in *Paræneſi* ad Academicos in Cartesianismum seductos. *pag.* 119. Ubi id notandum quòd ob Ideas, quibus Ipsos apud Alios inclaruisse constat, Eos Scientia ulla vera præditos esse non docet, sed à Nugivendulis ingeniosis in Errorem abduci, vocibus callidè consutis, & nihil

hil prorſus determinatè ſignificantibus; Immo Academiarum ſuarum Leges, atque Majorum Inſtituta violaſſe, non ab Veritatis Defenſionem, ſed ad peſſimorum in Philoſophia Errorum, & Vocularum ignotarum Patrocinium.

XCI. Philoſophos tum Veteres tum Recentiores, etiam ſibi ignotos damnat.

Dein, ut *Epicureos*, *Scholaſticos*, & *Recentiores* Philoſophos damnat, in locis ex *Præf. Meth.* p. 28. *Præf. Sol. Phil. Sect.* 28. alibique paſſim citandis, Videre eſt, Præfat. *Sect.* 30. 31. Neque vero Quoſdam ex illis *ſibi ignotos* fuiſſe dubitandum eſt; cùm dum Ejus Conſcientiam, hac in re, appellam, Verecundior eſt, quam ut neget. *Carteſii Dioptrica* non intelligens, anno 1655. legit. *pag.* 17. Critico ſcilicet tempore illo, quo ſi Rationes rectè ſubduxamus, Illi tum Quadragenario Memoria, Phantaſia & Judicium viguerunt. Quin & "*Malbranchii* locos ipſi maximè offenſos, verè citatos comperit. *pag.* 19, 20. *Regium* autem, *Rohaultum*, *Regis*, cæteroſque Ideiſtas, Mera Nomina, ſoliditate omni, qualis Philoſophos decet, deſtitui, proindeque nec legi debere exiſtimavit.

XCII. Notatio de Carteſio, Malbranchio & Lockio, cum Authoris ipſius Enthuſiaſmo.

Sed &, Quæ ejus in *Carteſium*, *Malbranchium*, & *Lockium* ſunt Calumniæ & Prævaricationes, cum ſuo ipſius Enthuſiaſmo, videre eſt, Præf. *Sect.* 32, 33. Clariùs autem, ſi *Lockium*, cujus veniam p. 34. voce æquivoca deprecatus eſt, exceperim, in hoc ipſo Reſponſo ſuo, tum in Fabulis ſuis lepidiſſimis, de quibus priùs dictum eſt, tum in Locis quidem aliis non paucis, citatis etiam ſuprà ipſius verbis, quibus ne Minima

Mo-

Modeſtiæ aut Veritatis Species ineſt. Quin quicquid de Carteſio fiat, in Cauſa Malbranchii authoritate pugnat: " Dum Præfationi, quæ *Methodo* meæ præfixa eſt, ſcribendæ intentus eram, inviſit me amicus noſter, qui etiam Doctrinæ Carteſianæ addictior erat. Is *primus* mihi retulit qualiter, & quo in loco, *Malbranchius* Fanatico more Scripſerit *pag.* 19. Verum ut eſt Amicus ille noſter, Authore noſtro fatente, Vir in multifaria literatura verſatus, ita & Modeſtior, ac nominis clarioris, quam ut loca illa Ei alio conſilio nota faceret, niſi ut Ipſe ille, Author hic noſter, Famam ſibimet, ſi unquam, in Viro Clariſſimo, à nequiſſimis Maleferiatorum Hominum Calumniis vindicando aquireret. Id quod Ipſi certe facillimum fuit. Quid enim? Si *Malbranchius* dixerit, *Scientiam* Humanam non niſi ex *Revelatione Divina* haberi poſſe, quod primò objicit Ille, *pag.* 18. *alibique*; Id de Revelatione quadam naturali, qualis ea eſt Principiorum quæ Leges Naturæ dicuntur, intelligendum eſt. Quin & Meminiſſe oportuit, Authorem noſtrum paulo antè, *pag.* 16. *Scientiam* ſuam *Divinæ Providentiæ* acceptam tuliſſe, quæſiviſſéque an Quis hoc ab homine Chriſtiano expectâſſet, ut cuiquam vitio vertat quod quidquid habeat ad Deum, omnis Boni Authorem referat. Dein quoad id, quod Mens *immediatè, imò ſtrictiori & magis eſſentiali modo uniretur Deo quàm cum Corpore ſuo*, quod poſtea etiam objicit, *pag.* 44. *alibique*; Id facilè quidem quis admittat, qui perpenderit Mentem à Cor-

Corpore ſuo, nequaquam autem dum exiſtit, à Deo, à quo ejus *Eſſe* omne immediatè, ſtrictiſſimè, & eſſentialiter dependet, penitùs ſeparari poſſe. Neque tamen hinc Unionem aliquam Hypoſtaticam inter Deum & Creaturas ſuas, hac in cauſa, intercedere quis exiſtimet, niſi qui ut Dei, ita & Creatæ omnis Naturæ, Unioniſque Neſcius omninò ac ignarus ſit. Ne quid dicam quòd Ipſe in Libro ſuo *de Devotione*, p. 116. *ad* 220. Beatos in Cœlo, imò Fideles in hac vita, citato etiam in hanc rem S. *Baſilio*, ad certum quendam gradum deificari doceat. Neque verò eſt, qui Unionem quandam Dei cum Creaturis, ſenſu ſano acceptam reiiciat, ſi aut SS. Patrum, ac Religioſorum Affectus myſticos, aut Pauliſmum illud, quòd *in Deo ipſo vivimus, movemur, ac ſumus*, admittat. Id quod verba etiam illa, 1 Jo: 4. 16. clarè docent: *Qui manet in Charitate, in Deo manet, & Deus in illo.* Quibus & addatur celebre illud Dictum: *Magis eſt Anima ubi amat, quàm ubi animat.* Ut vel hinc certè abundè ſatis pateat, quàm longè à Fanaticiſmo Malbranchius abſit. Sed & Authori huic noſtro, ne in Scholis Philoſophicis peregrinus videretur, ut Malbranchium, ita & Philoſophos plures alios, pag. 29. citatos, nominavit Vir Doctiſſimus, minime autem procul dubio exiſtimans, Ipſum illos ſibi penitùs ignotos damnaturum. Quin ut non ipſi Authoritas ſatis ampla deſit, Epiſcopum etiam quendam hac in cauſa laudat Author noſter. *pag.* 20. De Ipſo autem ſa-

tis

tis priùs dictum est. Neque vero de Authoris ipsius Enthusiasmo manifesto nunc opus est, ut plura dicam; cùm ex Principio illo, de Rebus ipsis, non Ideis, in Mente reverà existentibus, cæterisque Notionibus suis Fanaticis clarè constet, nec aliter quàm futili ac vana Recriminatione se excusari posse existimat:

XCIII. Ipsius etiam dum Porphyrium & Aristotelem calcat, lapsus turpissimus.

Quin & ut turpiter, dum *Porphyrium* & *Aristotelem* calcat, lapsus est, Videamus Præf. *Sect.* 43. Iterûmque ex terribili Responso suo colligere est. Cum Porphyrium prorsus negligit: Neque vero tam Aristotelis, quàm nomini proprio favet, dum Syllogismos priùs derisos, spurios quidem jam agnoscit, quin quia ridiculos, suos esse omnino negat his Verbis: "Nullum Syllogismum neque *clarè & distinctè*, neque *obscurè & confusè* adduxi, sed *duas Propositiones* tantùm; quibus tu *Tertiam* ex solito candore & benevolentiâ tuâ addidisti; nempe duas lineolas quæ non erant *meæ*; licèt Tu illas esse *Meas* fingas ac aliis suadere cupias. *pag.* 26: Quæ hæc Hominis Impudentis Confidentia, cui Os obstrui non aliter potest, quàm ipsa Ejus Verba Anglica citando! Sunt autem vitiosi hi Syllogismi *Secundæ*, & *Tertiæ* Figuræ suæ, in *Methodo Sciendi*. *pag.* 233. Verbis exprèssimis;

"Wherefore from these Premisses,
"*Some Laudable thing is Virtue*,
"*Courtesy is a Virtue*,
"Or from these
"*Virtue is Laudable*,
"*Some Virtue is Courtesy*, "The

"The Concluſion might either be, *Therefore*
" *Courteſy is Laudable*, or
"*Some Laudable thing is Courteſy.*

"Unde ab his Præmiſſis,
" *Aliquid Laudabile eſt Virtus,*
" *Comitas eſt Virtus,*

" Vel ab his,
" *Virtus eſt Laudabilis,*
" *Aliqua Virtus eſt Comitas,*

" Concluſio eſſe poſſit, *Ergo*
" *Comitas eſt Laudabilis*, vel
" *Aliquid Laudabile eſt Comitas.*

Clariùs autem et diſtinctius à me ponitur Syllogiſmus in Secunda ſua Figura, hoc modo:

Aliquid Laudabile eſt Virtus,
Comitas eſt Virtus, Ergò
Comitas eſt Laudabilis.

Et in Tertia ſua Figura, hoc modo:
Virtus eſt Laudabilis,
Aliqua Virtus eſt Comitas, Ergò
Aliquid Laudabile eſt Comitas.

His videat jam Lector, ſi quid ipſe aliud in Ridiculis his Paralogiſmis ſuis fecerim, quàm ut quod obſcurè et confusè ab illo, ut ſolet, dictum eſt, Luce clara et diſtincta donarem. Sed et hinc etiam, qua fide in aliis ſuſcipiendus eſt, qui hic turpiſſimè lapſus eſt, abundè ſentiamus.

Ce-

Cætera ex ipso Authore terribili, *pag.* 24. petantur: "Hic doctissimus D. *Le Grand* adeò triumphat ut miret eum *Aulum Gellii* verbis, paululum mutatis, non exclamasse:

Concurrite omnes Augures Aruspices;
Portentum inusitatum conflatum est retrò,
Nam qui Logicam profitetur, Syllogismum
componere nescit.

XCIV. Quæ ipsius Ratio Provocationis, ac Philosophorum Amicitia.

De *Provocatione*, et *Philosophorum Amicitia*, de quibus Præf. *Sect.* 44. et 45. agitur, non plura dicam; cum *Priorem*, qua est fide, sub obtestatione sacra jam negat. *p.* 72. *Alteram* vero in Præfatione sua, parvi facit, "Istiusmodi, inquiens, homines neque futuros mihi æquos expecto, neque (cum eos *Factioni* non *Veritati* studere videam) istorum aut ambio *Amicitiam*, aut etiam *Odium* illorum extimesco. p. 11. Neminem scilicet, qui non transit in Partes suas capit, nec curat.

XCV. Dissertatio Confutationem nescit.

Quid verò in *Dissertatione* mea Discussum est, habemus Præf. *Sect.* 46. Neque opus est nunc pluribus Enarrare; cum per integrum Responsum terribile, seu per Sex *Judicationes* suas integras, à pagina 85. ad 231. præter Ea, quibus supra in *Censura* hac *Justissima*, anteáque tum in *Præfatione*, tum in *Dissertatione* ipsa, tum in Apologia pro Cartesio, aliisque a me editis Scriptis satisfactum est, nihil aliud quam Falsificationes, Futilitates, et Ineptias quasdam ineptissimè effutiit. Neque verò *Apologiam* illam, quò ipsum prius remisi, inspicere dignatus est.

Quo

Quo fit, ut non Ineptias illas ſuas repetere nunc debeam, ne Cramben coctam recoctámque ſæpius exponendo, Moleſtiam crearem.

XCVI. Appendicem in favorem Carteſianorum, Authoris terribilis captum ſuperare clarum eſt

Jam autem ad *Appendicem* de Formali Mutatione in favorem Carteſianorum deventum eſt. Et quidem cum Appendici Peripateticæ de qua multum gloriatus eſt Author terribilis, quam maxime Oppoſita ſit, Expectandum erat, ut Vires ſuas omnes in ea confutanda eliceret. At proh Hominis Ignavi Imperitiam! Hîc certe ſi uſquam, nugatur egregiè. Tractatum ſcilicet hunc *Phyſicum*, qui Ipſi Occaſionem dedit ſatis opportunam, ſe Philoſophum, ſi poſſit, oſtendere, ad *Prædicamenta* Decem, *Genera* ac *Species*, *Ens* et *Unum*, *Abſtractiones*, aliáſque ſuas Logicas Tricas reducendum ineptiit. *pag.* 234. *ad* 248. Tum verò, antequam etiam ad Rem procedat, obiter Lectores rogat, ut perpendant, credant potius, hæc Dicta Peripatetica ſua, non *gratis* ſupponi, ſed *Demonſtrata* eſſe. *pag.* 249. Quibus præmiſſis, vult etiam ut Lectores credant, quod Vocibus *Diviſibilitas*, *Phyſica*, et *Materia* Carteſiani abutantur. *pag.* 249. *ad* 254. Mox autem locum ex Ariſtotele a me prius in Appendice *Sect.* 6. citatum, Nihil omninò ad rem eſſe affirmat, quia ſolummodò probat (ut inquit) Raritatem et Denſitatem eſſe Qualitates. *pag.* 255, Cum tamen verbis citatis Philoſophus, apparere hæc, Denſum nimirum et Rarum, aliena eſſe a Quali Diviſione, Denſúmque eſſe, quia partes ſibi invicem propinquæ ſunt,

&c

& Rarum, quia à se invicem distant, expressissimè doceat. Quin, Propriùs (inquit) ad Quæstionem fuisset, allegare locum illum Aristotelis, Lib. Ph. 8. c. 7. Πάντων δὲ τῶν ἀδιαιρέτων ἀρχὴ πύκνωσις καὶ μάνωσις. &c. *Omnium Passionum* (hoc est, Affectionum seu Determinationum) *Principium sunt Densitas & Raritas*, &c. *ibid.* In quibus certè Verbis, si quando Author noster aliquid contra Cartesianos notatu dignum viderit, Lynceum oportet, ut ipsum dicam, non in Rebus hisce Philosophicis Talpa cæciorem. Posteà verò Cavillationibus suis, quibus prius satisfactum est, ad Nauseam usque à *pag.* 256. *ad* 265. repetitis, nihil habens, quod de Observationibus meis variis dicat, Curiositates eas esse concludit, quæ captum ejus superarant, tandémque in Risum desinit. *p.* 266, 267. Neque vero Inurbanum adeò me præstem, quin & Ipse etiam corrideam, cum de terribili hoc Authoris terribilis Responso, Suóque conatu omni, etiam Amicorum suorum cum Vires suas omnes addiderint Ope adjuto, id optimè jam dici possit, *Montes* ipsos, non aliud quam *Murem* ridiculum peperisse.

XCVII. Epilogi Examen, ubi primum de voce, Directus.

Fuit Duplex Authoris terribilis *Præfatio* ad Academiæ utriusque viros Doctissimos Directa. Scilicet ut placerent, quas fecisset Fabulas, Prologus Unus non sufficit: Neque verò Castissimas Virgines Semel salutasse, procacissimo Ingenio satis est. Instat nunc *Epilogus* ad D. Le Grand *Directus*. *p.* 269. Quid autem illud est, quo Vir iste Ingeniosus, Ambidexter, & Duplex, in voce hac sim-

simplice, *Directus*, sibi tantopere placet. Nempe, Homo Cartesianis omnibus adeò Adversus est, ut qui prius in ipsorum causa Criticum agens, voce innocentissima, *lepore*, malitiosè abusus est, quidni & hîc etiam in Criticis Iniquior, ut Academicis, ita & Mihi quoque jam tandem, Vir subdolus, Verbum illud Vetus dictum velit: *Abi Directè*. Plauto Aliisque Dierectè, & Dierectà: Quid, quòd Dierectum, utique & Directum, dixere Latini pro Diarrectum. διάῤῥηκτος *disruptus*, & διαῤῥηγνύμαι *Rumpor*, *disrumpor*. Hinc illud, *Rumpantur ut ilia Codro*. Neque vero Codrum solùm, Mendicantem, Rationis atque Argumentorum Inopem, sed & Crœsos suos omnes, divitis ingenii viros, hæc ejus Imprecatio petat. *Dispereat*, inquit, & confundatur *Error*; sive à *Digbæo*, vel *Albio*, vel etiam ab ipso *Aristotele*, Assertus fuerit aut Propagatus. *Præf. in fine*. Sed & hîc etiam notandum est, *Errorem* ab Authore nostro dici, quicquid non exhibuit damnata illa olim Parisiis Terminorum Connexio; quicquid non Ipse in Logicis & Metaphysicis suis imperiosiùs dictavit; quicquid non voluit sua Sciendi Methodus, nemini, ne Divis quidem, Parcens. Quanquam si Directus, apud Criticos sit *disrumpi* dignus, pereat oportet Prologus, & Epilogus suus omnis: Pereat & Author Ipse qui se suásque rationes omnes ad Viros Doctissimos Dirigit: Immò Ipso pereunte, unà etiam pereat universus terrarum Orbis. Adeò mirè ipsi arridet Poetæ illud: Ἐπεὶ θανόντος γαῖα μιχθήτω πυρί. Væ illi qui

cum

cum Scriptore hoc terribili rem habet.

XCVII. Bimestris partus Biennali imaginario præfertur.

Mox autem partum suum, ut habet, bimestrem, biennali nescio cui imaginario præfert. "Intra bimestre spatium Biennali opusculo tuo plene responsum, *pag.* 269. Scilicet Mures & Sorices brevi temporis spatio editos qui Librorum solum Margines rodunt, Nobiliores multo vult, quam Elephantem non nisi post duos Annos emissum, sed qui Authorem ipsum terribilem cum terribili suo responso, uno morsu deglutiat. Neque vero non optime ipsi placeat Exemplum à Muribus ductum. Quippe, si Aristoteli, Plinio, & Æliano fidem habeamus, Salem si lamberint, ipso facto impleri judicantur. Sed & Fœmina prægnante in vase miliario aliquando occupata, paulo post reserato vase Muscuti numero viginti & centum reperti sunt. Imo, in Persiæ parte quadam, Mure fœmina resciſſa, fœtus fœminini prægnantes inventi sunt. Quæ Egregia profecto est Instantia, qua clarè pateat quam ferax sit Authoris nostri Ingenium. Verum Levitati huic suæ prius occursum est.

XCIX. Terminorum Connexio desideratur.

Post pauca: "*Ais, Asseris, Explicas, Conclusiones* meas *Negas*, atque in illas furibundi more *inveheris*; *garris*, ac multa inconcinna *Effutiis*, *Irrisoria* ac *Contumeliosa* dicteria interseris. *pag.* 269. 270. Id omittit scilicet hîc non vult, quomodo Amicus suus *Sergeantius* olim se gessit, cum Terminorum suorum Connexionis oblitus, multa cum Animi commotione ad Interrogationes quasdam respondit. *Warnerus.* Redeo ad Inter-

terrogationem meam D. Sargenti, Existimáſne peccare omnes illos, qui---. *Sargent.* Reſpondeo. Expecta. Dicam. Audi. Vide. Profectò dicam. Ego reverà non puto ſufficere Motiva duntaxat prudentialia. *Dublin.* Reſponde ad interrogata. Putáſne---, *Sargent.* Non intelligis Doctrinam meam. Ego dico, Expecta. Deus bone! *Abbas Montagu.* Dic tandem Sargenti, peccantne illi qui profitentur Fidem abſque illa evidentia tua? *Sargent.* Dicam Domine, tenentur Docti illam habere. *Warnerus.* O Impiam Doctrinam! Iterúmque: O Impiam Doctrinam! *Montagu.* D. Sargeantius explanabit Doctrinam & Libros ſuos; interim pacificè vivamus. *Dublin.* Nihil aliud optamus. *Hiſt. Blacl. p.* 321. *ad* 324.

C. Perverſus Politicus. Et poſtea: "Ignoſcas tibimet quòd me, vel invitum ad utendum rigore aliquo perpuleris. *pag.* 270. Quid autem aliud ab illo expectari potuit, cui non alia eſt, quàm Demonſtratio rigoroſa, Severa nimirum, ac Implacabilis. Quid ab eo, qui Nemini parcit. Et poſt pauca: " Non enim Adverſarii, ſententiam ſuam quam opinatus eſt Veram eſſe, defendentis, indolem ſapit Oppoſitio tua; ſed Perduellis Rabioſi Internecinis armis Perſonam meam adorientis. *ibid.* Quæ hæc Perſona quam ſuſtinet? Magni proculdubiò Nominis Virum Se ſomniat, literis non Italicis, nec vulgaribus ullis, ſed Uncialibus, pro dignitate ſua, pingendum. " Nequaquam ſiquidem Invidiæ tuæ ſatisfecit, hominem tui amantem, nec quidquam quod probroſum erat tibi unquam obi-

obicientem, *Cuneis* & ſanabilibus afficere Vulneribus; ſed, Famæ meæ Chriſtianæ, vitâ ipsâ Charioris,--- *ibid.* Quin hîc mittam cætera cum annotationibus debitis, ne non me amare pergat: Præcipuè verò ut Famam ſuam, quam vocat, Chriſtianam, Salvam & incolumem habeat. Utinam in Curia Rectus ſemper, atque in re omni, ſtetiſſet. Certe verò perversè Politicum agit, dum ſingulis penè Paragraphis conqueritur, detegitque quomodo intimè ſentiat, Se à me acerbiùs Exceptum. Hoc ipſi celandum erat, ſi Honori ſuo probè conſuluiſſet. Hunc aſſitem Animi ejus impetum facilè ei condonabunt Lectores benevoli, ubi animadverterint, fas eſſe jacturam facienti Conqueri, Damníque meminiſſe, quod reſarciri non poteſt.

CI. Veritatis Jugulum petitur.

Addit autem poſt pauca: "Fateor equidem narrâſſe mihi Reverendum D. J. idque coram Viris nonnullis præcipuâ Nobilitate Inſignibus, quòd cùm te nuper inviſit, tu petiſti veniam quòd rudi more in Præfatione tuâ me tractaveris; ac rejeciſſe [lego: rejeciſti] culpam in nonnullos Carteſianos Londinenſes, qui ad te ſcripſerunt, quod, niſi id feceris, actum eſſet de Causâ Carteſianâ. *pag.* 271. Quaſi vero non ſatis ſit, Priſciani Caput diminuere, niſi & Veritatis omnis Jugulum petat. Negat Reverendus D. J. Literiſque ad me miſſis teſtatur, *Se nihil tale Ipſi retuliſſe.* Quin & addam, Id ipſi, cùm ſit falſiſſimum, dici non potuiſſe. Quo certè abundè nunc ſentiam, qualem Adverſarium habeam, qui,

quicquid priùs putavi, ita Famæ bonæ negligens est, ut non suo, nec aliorum, ne quidem Nobilium Virorum, Honori consuluit.

CII. Debita Gratiarum Actio.

Et post pauca: "Ingratum erit tibi, si commemorem quot & quanti Clarissimi ac Doctissimi Viri mecum egerint ne Responso ullo te honestare vellem; vel, Si tibi narrem, quot ac quibus Titulis male sonantibus, ob *Inscitiam* te ornatint. *pag. ult.* Quot Quantique Viri! Quin gratum mihi erit, si singulos nominaret, ut ipsis Gratias, quas debeo, maximas referam: "Nonnulli quo absisterem, exemplum mihi proposuerunt Clarissimi *Willisii*; contra quem, cum Chymista quidam nullius nominis scripserat, isque responso intentus erat; destitit tamen ab incepto ex monitis amicorum allegantium quod magnum, id faciendo, dehonestamentum conscisceret sibi, & decus atque ornamentum impertiret Adversario. *ibid.* Non norunt Illi hominis ingenium, cui grave foret, si non sinerem eum (qualem sub aliena persona se alicubi depinxit) præcipitem, & quod vult valde volentem, suum debacchando explere animum. Quin & Ipse etiam à me Gratias expectet, quòd Amicorum Monitis, *Willisii* Clarissimi exemplo fundatis, morem gerere noluit, sed id fecit, quod sibi dehonestamentum, mihi autem decus & ornamentum fore prænovit. "Attamen, non Tui, sed aliorum, Famæque meæ gratiâ, opusculum istud exaravi. *ibid.* Quid ait? Aliorum, Famæque propriæ gratia? Ergo præter clarissimos ac doctissi-

ctissimos illos, nescio quot quantósque Viros, qui contrarium suaserunt, habet & Alios, Unum, puta, & Alterum, Tertiúmque, Triumviratum Egregium, Quibus, Sibique ipsi hac in parte indultum est. Quin à quibuscunque, & quomodocunque profecerim, oportet etiam ut me non ingratum ostendam.

Postea: "Quicquid tu dicis (quid enim non dicturus es?) neque Te, nec quenquam alium hactenus provocavi; At *jam* provoco te & Amicos tuos, modò quisquam sit qui ineptiis tuiis patrocinari æquum censeat. *ibid.* De provocationibus prioribus quid Sentiendum, antea dictum est. Curandum nunc est, ne Cartesiani omnes cum eorum Patronis, ab Authore hoc uno Terribili devorentur. CIII. Provocatio Terribilis.

Addit: "Denique, scias velim quod nisi id præstes, *Teipsum*, quicquid *verbis* jactitas, esse *revera* in Philosophia *Hominem Nihili* manifestabis; neque vel Mundo Utile ac nec mihi honorificum erit, te, quidlibet pro libitu deblaterantem, Responso ulteriore dignari. *ibid.* Id unum scilicet vult, ut Ipse etiam in Logicis, Ipsi illi *Non Ultra*, nugari discam, Opúsque edam, quale suum esse jactitat, quod non permagnum solùm sit Rei Literariæ commodum, sed & Mundo, ut alibi etiam habet, Utilissimum. Proh Logici ineptissimi Ineptias ineptissimas. CIV. Ineptiæ pro Opere Utilissimo reputandæ.

Quod ultimum est: "*Vale. ibid.* Quin & Ipsum etiam *Valere* jubeo, Multúsque in hoc uno semper ero, ut Ipsi sit Mens sana, in Corpore sano. CV. Vale dictio

CVI. Ignis Fatuus evanuit.

Exit Author terribilis. Quod prima facie, Mediæ suæ, ut alibi habet, Classis Lectoribus, formidolosissimum videbatur Spectrum, Se *Ignem Fatuum* ostendit, qui, jam tandem evanuit, non ullo unquam modo ad Causam hanc, nisi Spiritus inquietus sit, rediturus.

INDEX.

INDEX.

Quibus auspiciis ad Certamen Terribile, Literarium, ventumque, itur: Pag. 1

2. Terribilior Terribilis Libri Titulus expenditur in genere. p. 3

3. Speciatim ostenditur quo nomine gaudet Author Terribilis. p. 4

4. Quo item miraculo, seu potius Signo Mendaci inclaruerit. ibid.

5. Qualetiam Candore. p. 5

6. Et quibus Elegantiis. ib.

7. Ut Lapis ejus Lydius infeliciter ei cedat. p. 7

8. Ideae omnes ab ipso Cartesiane nominantur. p. 8

9. Ut Responsi Terribilis Praefatio, Autoris terribilis Ingenium & Modestiam ostendat. p. 9

10. Ut Sibi & Doctis notus, Opus Suum mundo utilissimum edidit. p. 10

11. Autoris Terribilis Barbarismus. p. 11

12. Et Plagium. p. 12

13. Et Malignitas. ib.

14. Ut Vates delirans evasit. p. 13

15. Lepidus Lepida Fabula Prologus. p. 15

16. Fabula ipsa Lepida. p. 17

Fabula alia. p. 18

18. Quem Episcopum Author terribilis hac in re consulvit. ib.

19. Autoris terribilis Urbanitas. p. 19

20. Et Inerrabilitas. p. 20

21. Qua ratione Responsi terribilis Corpus oppugnatum est. ib.

22. Festinandum Lentè. p. 21

23. Falsificationes terribiles. p. 22

24. Cau-

24. *Cautio Amica.* ibid.

25. *Quo Motivo Author terribilis Philosophica Scripserit.* p. 23

26. *Quid momenti contra Philosophiam Cartesianam Objectum est.* p. 24

27. *Ut Terribilis Author se Philosophiæ Cartesianæ ignarum esse, ingenuè confessus est.* p. 25

28. *Ipsius Cor ac Lingua Duplex.* p. 26

29. *Methodus Cartesiana cum Authore laudatur.* p. 27

30. *Notiones cum Præjudiciis defectus Dubitationis ortis confundi non debent.* p. 29

31. *Quæ Veritatis Regula, & quod Primum cognoscendi Principium.* p. 30.

32. *Tres Sensus gradus recte assignamus.* p. 31.

33. *Judicare est Voluntatis actio.* p. 33.

34. *Idea & Nomine & Re assertæ.* p. 34

35. *Ut Sensus Fallaces dicuntur.* p. 35

36. *Quid de Atheis & Paganis in Causa Idearum sentiendum.* p. 36

37. *Humana Anima non est Tabula Rasa.* p. 37

38. *Nihil est quod non pendeat à Divina Voluntate.* p. 38

39. *Syllabus Errorum Ipsi J. S. Lapis Lyncius sit, aut Cos Gyratilis.* p. 39

40 *Ipsius J. S. Arrogantia non aliis audita.* p. 40

41. *Damon, ut ipsi videtur, Potens* p. 41

42. *Deo Opt. Max. Angelos Animasque omnes mutandi Potestas sacra Scriptura reservatur.* p. 42

43. *Cognitio omnis Angelorum non est instantanea.* p. 45

44. *Angelorum Lapsus ex S. Literis, ut & ex Ratione ac Sensu stabilitur.* p. 46

45. *Et ab Absurdo & Periculoso Consequente.* p. 48

46. *Summo ipsi Numini Potestatem inesse mutandi Animas Speciatim ostenditur.* p. 49

47. *Animarum Separatarum Immutabilitas expenditur.* p. 50

48. *Deum Authorem, Motum*

Motum Rerumque omnium Curam agnoscere debere, ex Ratione ostenditur. p. 52

49. Et ex S. Litteris p. 57

50. Definitiones Motus Cartesianæ vindicantur. p. 59

51. An Angeli sint Causa Motus. p. 60

52. Deo Potestas Annihilandi reservatur. p. 61

53. Authoris terribilis Demonstrationes Tres priores futiles. p. 62

54. Ut & Quarta ac Quinta p. 63

55. Et Sexta p. 65

56. Et Septima p. 67

57. Octava & ultima p. 69

58. Annihilationis Possibilitas. p. 70

59. Mundi Interitus per Annihilationem est Possibilis. p. 73

60. Æternitas à duratione distinguenda. p. 74

61. An Deus ab Æterno Creator & Immensus dicendus sit. p. 76.

62. Anima Humana Ortus, & Existentia ostenditur. p. 77

63. Damnati an sine Deliberatione Lapsi sunt. p. 81

64. Dei & Angelorum Cognitio distinguenda. p. 82

65. Ut circa Ideas Resque in Mente existentes Erratum est. p. 84

66. Cartesii Mens de Ideis. p. 86

67. Adversarii Auctoris Cartesiani Opinio. p. 89

68. Quæ Ipsi atque Auctori Cartesiano fides. p. 92

69. Interimistæ ab Umbris evocati. p. 93

70. Medicina & Vicarium tuum omnia ab Authore Terribili rejicitur. p. 94

71. Ideæ Cartesianæ Reales sunt, non Chimæricæ. p. 95

72. Ideæ Cartesianæ unde Ortum suum habeant. p. 97

73. Beneplacitum Divinum rectissimè à Cartesianis allegatum. p. 98

74. Dei Veri Ideam omnibus innatam esse. p. 99

75. Animæ Corporisque Distinctio stabilitur. p. 103

76. Ut Voces Ens, Res, & Substantia variè sumantur. p. 106

77. Errores Varii ex neglecta Distinctionis inter Animam & Corpus exorti. p. 108

78. *Erratum est graviter, cum asseritur Impressiones varias esse pro varia objectorum natura, seu Essentia.* p. 109

79. *Bellarminus ab Authore nostro Terribili reficitur.* p. 112

80. *Exemplum Magnetismum Firmatur.* p. 113

81. *Confessio memorabilis.* p. 114

82. *Nihil mali est, si Mutatio substantialis, remanente Specie, reperiatur.* ibid.

83. *Gravis de Animarum Hominumque Differentia Essentiali Error notatur.* p. 115

84. *An Rationalitas sit Essentia Hominis.* p. 116

85. *An dentur Homines Specie differentes.* ib.

86. *Animarum Corporumque Nobilitas non diversas constituit Species Humanas.* p. 118

87. *Paradoxum Novum Prius longè superans.* p. 119

88. *Authoris Terribilis Philautia notatur.* p. 120

89. *Et in Superbis Librorum suorum Titulis Vanitas.* p. 121

90. *Qualem Academicis Honorem defert.* ib.

91. *Philosophos tum Veteres tum Recentiores, etiam sibi ignotos damnat.* p. 122

92. *Notatio de Cartesio, Malbranchio & Lockio cum Authoris ipsius Enthusiasmo.* ib.

93. *Ipsius etiam dum Porphyrium & Aristotelem calcat, lapsus turpissimus.* p. 125

94. *Qui ipsius Ratio Provocationis, ac Philosophorum Amicitiæ.* p. 127

95. *Dissertatio Confutationem nescit.* ib.

96. *Appendicem in favorem Cartesianorum, Authoris terribilis captum superare clarum est.* p. 128

97. *Epilogi Examen, Ubi primum de voce, Directus.* p. 129

98. *Bimestris partus Biennali imaginario præfertur.* p. 131

99. *Terminorum Connexio desideratur.* ib.

100. *Perversus Politicus.* p. 132

Ve-

101. *Veritatis Jugulum petitur.* p. 133
102. *Debita Gratiarum Actio.* ib.
103. *Provocatio Terribilis.* p. 134
104. *Ineptiæ pro Opere Utilissimo reputandæ.* p. 135
105. *Valedictio.* ib.
106. *Ignis Fatuus evanuit.* ibid:

FINIS.

Erratorum Emendationes.

PAg. 5. lin. ult. quod ad p. 8. l. ult. item p. 18. l. 34. dementatum, p. 21. l. 9. ægre ep. 26. l. 21. par p. 31. l. 16. clarè p. 33. l. 21. nominatim p. 35. l. ult. Menti p. 39. l. 10. Ita ut p. 48. l. 15. Correctiorem p. 60. l. 26. conservat p. 65. l. 1. *miraculõe* p. 70. l. 31. Impossibilitatem p. 73. l. 30. annihilari p. 75. l. 14. consistere p. 80. l. 18. reliquisset p. 96. l. 1. Existendi p. 99. l. 1. Falsásque Ideas p. 106. l. 13. præditis p. 114. l. 16. Exempla p. 119. l. 13. quod p. 128. l. 14. *Phy-*